

BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
19 C
42



CARMEN PANEGYRICVM
DE LAVDIBVS BERENGARII AVG.
ET
ADALBERONIS
EPISCOPI LAVDVNENSIS AD ROTBERTVM REGEM FRANCORVM CARMEN.

Ab HADRIANO VALESIO *Historiographo Regio è veteribus codicibus eruta ac Notis illustrata.*






PARISIIS,
Sumtibus IOHANNIS DV PVIS, in vico Iacobeo ad Coronam auream.
M. DC. LXIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



HADRIANVS VALESIVS ANTONIO VIONI HEROVALLIO VIRO CLARISSIMO PECVNIÆ PVBLICÆ rationum Auditori S.





VM multa ſunt, quæ doctos antiquarios & veteris Hiſtoriæ ſtudioſos in ſcribendo plurimum iuuant: tum in primis magno eis vſui eſſe conſueuit editorum librorum cum priſcis exemplaribus ſe-

ã iij





dula collatio. Nam & antiqui Historici nostri ac externi, atque adeò clarissimi quique quarumlibet Gentium, artium, linguarum, ætatumque Scriptores aliter emendari tutò non possunt: & facilè intelligi aut valde prodesse nequeunt nisi emendati. Hinc fit, vti plerique tam necessario auxilio destituti sæpe ab ipsismet Auctoribus quos inoffensô pede & bona fide sequi se putant, inopinantes recedant longiùs, & nunc in notatione temporum, nunc in hominum & locorum appellatione, interdum & in narratione rerum gestarum graues errores incurrant, vni editorum inscitiæ negligen-

tiæve imputandos: quos ſcopulos diligentes, laborioſi, ac prudentes euitant, ope vetuſtorum codicum de ſuorum quiſque Auctorum mente ac opinionibus facti certiores. Accedit ad hanc vtilitatem & altera haud paullo pluris æſtimanda, quòd ex codicibus atque membranis Pergamenis in alto maiorum Bibliothecarum puluere latentibus velut ex defoſsis theſauris inedita priſcorum ingeniorum monumenta & clara cuiuſque generis opera crebrò eruuntur, quæ Reipublicæ Litterariæ multum interſit publicari. Quòd ſi habendæ ſunt nonnullis Optimatibus gratiæ, qui annoſos codices melio-

ris notæ, membranas tineis erosas, ac venerandas antiquitatis reliquias emunt, & contractas domique seruatas ex toto perire non sinunt: quanto maiori laude digni sunt illi, qui retritas istas aut humore sitúque corruptas membranas, chartas istas mucidas, litteris iam euanescentibus exaratas purisque ferè similes non legunt modò, sed etiam lecturis profecturisque libentissimè commodant? Iam intelligis, VIR CLARISSIME, *meis te verbis designari: qui omnium ferè ætatis nostræ Antiquariorum studia operâ tuâ promoues, & in vsum litteratorum vndique chirographa exempla-*

ria corrogas, vndique contrahis & colligis, per Luteciam nostram, immo verò in totam Franciam distribuenda. Dictum est olim à Plinio Secundo, ad æternam glotiam viam esse, iuuare Mortales. *Hanc tu viam dudum ingressus, ex domo tua fecisti calamo scriptorum exemplarium penum inexhaustum, codicum apothecam, chartarium priuatorum ac publicorum instrumentorum, thesaurum antiquitatis: à Proceribus, à Magistratibus conueniris; adiris à studiosis & doctis, quos vnus omnes in omni Historiarum ac propè Litterarum genere pro suo quemque captu cotidie demere-*

ris. Habes, quæ à te Genealogus petat: Habes, quæ à te Spicilegus accipiat. Reperis, quibus Historicum instruas: inuenis, quæ Miscellaneorum collectori dones largè atque subministres. Aliis origines familiarum, clarorum virorum propagines, tabulas nuptiales, donationes, testamenta mittis: aliis Chronica, maiorum Ecclesiarum Monasteriorúmque Chartularia, Passiones Martyrum, Vitas virtutésque Sanctorum, Sermones, Epistolas, & veteri scriptos manu libros nunc petentibus, nunc vltro ac ne rogatus quidem impertis: rara monumenta, obseruationes quo-

que tuas nonnumquam nihil tale ſperantibus aut exſpectantibus (quæ tua bonitas eſt) velut obtrudis ac ingeris: dum quæ cuique conueniunt ſeponendo ac miſsitando, gaudes etiam Scriptorum vota præuenire. Ego ipſe, quod propter ſummam earum rerum quæ à me ſcribebantur vetuſtatem fieri poſſe non exiſtimabam, haud ſemel ſum in Hiſtoria Francica miſsis à te veterrimis libris adiutus: ſicut & in Præfatione operis mei ante quadriennium profiteri memini. Quotus autem quiſque nunc ſcribit Luteciæ Pariſiorum, ſcribit in Francia, qui aliquid tibi non debeat, aliquid tibi ac-

ceptum non ferat, te inhonoratum indictumque transmittat? Plerique gratam tui mentionem pæne singulis habent in paginis: te operum suorum alterum auctorem ac veluti patrem agnoscunt: quantum in ipsis est, tibi famam conciliant, nomenque tuum commendant memoriæ hominum sempiternæ. Hæc sunt præmia bene de Litteris & ex animo meritorum. Hoc Proceres qui ingenia fouent, (Si qui nunc tamen Proceres apud nos ingenia fouent) liberalitatis suæ ac beneficentiæ pretium ferunt: tu (quod multo laboriosius & gloriosius est) studij tui, curæ tuæ ac dili-

gentiæ in corrogandis veteribus libris, benignitatis in commodandis. Sed vereor, ne dum testimonium reddo veritati, modestiæ tuæ mea ſit grauis oratio. Finem itaque facio dicendi: & Panegyricum de laudibus Imperatoris Berengarij, atque Adalberonis Epiſcopi Lugduni Clauati ad Rotbertum Regem Francorum Carmen, quorum alterum per Danihelem Heinſium V. C. anno MDCLIV. *alterum abhinc annos* XIV. *beneficio tuo nanctus ſum, Notis & Obſeruationibus meis illuſtrata tibi mitto nuncupóque. Æquum enim eſt bona tua, poſt tantum temporis ſpatium au-*

ctiora ad te reuerti, & quod à te manuſcriptum accepi, ad te typis impreſſum redire: vt quæ cum paucis legi, ab doctis & patriæ Hiſtoriæ amatoribus vbique legantur. Habebis hæc igitur, non magis rerum Francicarum, quàm amicitiæ noſtræ, quàm grati animi mei, mei de te iudicij teſtimoniique monimenta, apud poſteros duratura. Vale VIR CLARISSIME *&* NOBILISSIME. *Data Kalendis Nouembribus Luteciæ Pariſiorum anno Domini* MDCLXII.

INDEX RERVM QVÆ HOC OPERE continentur.



INCERTI AVCTORIS
CARMEN
PANEGYRICVM
DE LAVDIBVS
BERENGARII AVG.




HADRIANI VALESII PRÆFATIO

IN PANEGYRICVM de laudibus Berengarij Aug.



NICOLAVS HEINSIVS Danihelis filius Batauus, vir non patrio solùm nomine sed etiam studiis suis clarus, anno M. DC. L. Lugduni Batauorum Cl. Claudianum edidit cum veteribus codicibus scriptis collatum, notísque illustrauit ac dono mihi dedit. Quas ego notas cùm euoluerem, animaduerti Poëtam quemdam nondum editum de Gestis Berengarij Augusti ab eo non



ſemel laudari; cuius pauculis verſibus lectis, ſtatim (vt ſum Hiſtoriæ omnis ac præſertim Francicæ ſtudioſiſſimus) totum opus videre ardentiſſimè concupiui. Intelligebam enim Poëtam, qui de Berengario ex profeſſo ſcripſiſſet, hiſtorici nobis loco futurum, & res laborioſi Principis ſecundis aduerſíſque euentibus variatas, ac crebra veluti ſcenæ mutatione confuſas diligenter enarraturum. Itaque paullo pòſt per litteras Heinſio pro munere gratias egi, eúmque ſimul rogaui, vt ſi carmen iſtud Panegyricum de Berengarij laudibus totum deſcripſiſſet ac penes ſe haberet, mihi mitteret. Reſcripſit mihi Nicolaus Heinſius Lugduno Batauorum anno M. DC. LI. pridie Kalendas Iulias, Poëma de Geſtis Berengarij Cæſaris quatuor in libros diuiſum, Pataūij in Bibliotheca Monaſterij Sancti Iohannis in Viridario ſeruari, ante annos ſaltem DCC. ſcriptum: illud in arca tineis ac blattis expoſitum ſe inueniſſe, cœpiſſe etiam deſcribere, ſed labore eſſe deterritum, tametſi verſus vt ferebat ætas peſſimi non eſſent: proxima hieme futurum ſe in Ita-

lia, ac totum Panegyricum transscribi & ad me perferri curaturum. Si Codex, qui exiguus nec ceterorum more catenulâ pluteis alligatus erat, subductus esset ab aliquo; at Romæ eius exemplar repertum iri apud Lucam Holstenium, qui ab ipso monitus, Iohannis Rhodij operâ totum Codicem describendum curauisset. Postmodùm venit Luteciam Parisiorum Heinsius vnà cum Luca Langermanno Hamburgensi, adolescente studioso, iussu Reginæ Christinæ profecturus in Italiam. Hunc, cùm me sæpius inuiseret, multis repetitisque precibus; & mox cùm Italiæ Bibliothecas circuiret, Romæque commoraretur, litteris rogaui, vt vrbis Antenoreæ promissique sui meminisset. Rescripsit Româ Heinsius anno M. DC. LII. III. Kalend. Maias, se vno tempore litteras meas, & Iohannis Rhodij Patauini epistolam accepisse, in qua scribebat, Panegyrici de Berengario exemplum alterum apud se esse, alterum apud Holstenium, curante se scriptum: si Heinsius Romæ librarium offenderet, Valesij desiderio celeriùs satisfactum iri.

Adiecit Heinſius, ex his apparere quantopere mei & mandatorum meorum ſeruaret memoriam: ſe tamen ex ipſo autographo carmen de Berengario exſcribi malle, ídque vt fieret ſibi vnicæ curæ futurum. Idem & Lucas Langermannus Hammaburgenſis, eius comes peregrinationis Italicæ; à me interpellatus reſcripſit eodem anno pridie Idus Maij, factu-rum ſe vti optatum de vita Berengarij exemplum haberem, poſtquàm ipſe ac Heinſius Patauium repetîſſent. Tandem circa initium anni M. DC. LIV. Panegyricum illum accepi, & ex litteris Heinſij datis Idibus Martiis Vbſolæ vel Vpſalæ quæ eſt Suedorum Metropolis, didici ad latus cuiuſque paginæ veteris Codicis adſcripta fuiſſe paſſim ſcholia, in expoſitionem obſcuriorum auctoris locorum: quæ pleraque omittere viſum fuerit, quòd maiore ex parte nullius ponderis momentíque eſſent. Exemplum vel apographum meum ſcriptum eſſe manu adoleſcentis Germani, quod Lucas Langermannus poſtea cum autographo compoſuerit, & plurimis in locis eius fide emendauerit.

Quòd si haud falsò Heinsius iudicauit, Codicem Monasterij Patauini Sancti Iohannis in Viridario, carmen de Berengario continentem, *annorum* esse *minimùm septingentorum*: (vt haud falsò videtur iudicauisse) credere conuenit eum codicem circa Berengarij maioris ætatem ipsius fortè auctoris manu scriptum, & opus à Poëta æquali Berengarianorum temporum, hoc est ante annos ferè quadraginta & septingentos compositum esse: cùm Berengarium seniorem Imperatorem Romanorum anno DCCXXIV. aut insequenti interfectum esse constet. Certè ab auctore æquali Panegyricum de laudibus Berengarij Augusti, viuo etiam tum ipso scriptum esse, plurima sunt quæ mihi persuadeant. Inprimis Panegyristes in Prologo librum suum sic alloquitur.

Nonne vides, tacitis abeant vt sæcla triumphis,
Quos agitat toto orbe colendus homo?

Taceri dicit à Scriptoribus triumphos, non quos egerit sed quos agat Berengarius; victorias non quas ex hostibus tule-

rit, sed quas ferat Princeps *orbe toto colendus*: quem ibidem *summum virum, virum pium, genesi & factis legendum, ac caput summum* appellat. Tum ergo Berengarius viuebat. Nec enim mortuus triumphos agere dicitur, sed egisse: non hostes vincere dicitur, sed vicisse. Ibidem ait, licèt Panegyricus suus de Berengario cremaretur, non defuturos viros bonos, qui amore tanti & tam pij Imperatoris impulsi, laudes eius perire non finerent, carménque suum describerent ac seruarent.

Tu licèt exustus vacuas solueris in auras,
Pars melior summi scribet amore viri.

Scribimus plerumque amore Principum quos vidimus, non eorum qui diu ante nostram ætatem vixere. Addit, se pij Regis pauca de multis gesta exposuisse contentum fore,

Sat mihi, pauca viri ponere facta pij.

In libro II. Poëta de posterioris Widonem inter ac Berengarium prœlij apparatu scribens, nominatim & exactè enumerat præcipuos Widonianarum & Berengarianarum partium duces: nonnum-

quam patriam, plerumque Ducatum, Comitatúmve, aut Marcam singulorum, numerúmque cuiusque copiarum indicat: tum summam belli attigisse contentus negat sibi vacare, de gregariis militibus qui à mediocris sortis Ducibus aut (vti loquitur) à *modicis magistris* regerentur, aliquid dicere, quod docti & eloquentes aliquando facturi sint.

Vacat non denique vulgus
Instabili motum studio modicísq; magistris
Profari. Quandoque manent hi sorte labores
Doctiloquos. Mihimet summam tetigisse duelli
Sufficiat.

Postremò adiicit, se ex industria præterire Episcoporum Italiæ nomina, qui huic pugnæ Berengarium inter Widonémque commissæ interfuerunt, & hunc aut illum iuuerunt.

Farier illectos studio Mauortis vtrimque
Pontifices vereor.

Ergo Panegyristes noster notos apprimè habuit non solùm clarissimos Berengarianarum & Widonianarum partium Duces, sed etiam obscuriores quosque ac

inferioris sortis, ipsum quoque *vulgus* seu gregarios milites, quos enumerare potuit, verùm noluit, ac tanti esse non putauit: notissimos habuit & Episcopos vrbium Langobardiæ, Berengarij ac Widonis adiutores, qui professionis suæ Canonúmque immemores, ad bellum profecti erant: sed dignitati eorum parcens, nominibus abstinuit, dignâ Catholico scriptore verecundiâ deterritus: quæ tanta ac tam exacta notitia hominum tum in Italia viuentium nisi æquali auctori haud dubiè conuenire non potest. Denique Ludouicus Bosonis filius post occupatum Regnum Langobardiæ Veronæ desedisse securus dicitur à Poëta in libro vltimo, ac nihil à quoquam sibi timuisse falsâ mortis Berengarij famâ sublatus feróxque factus.

Nil veritus: metuenda nimis quia sustulit ipsum
Fama, Berengarium lesi dispendia passum.
Ah! Latium quis te tantis defenderet armis?
Ergo pius Genitor rerum seruato magistrum,
Ne pereant vno Latialia gaudia leto.

Hi tres postremi versus (ni fallor) aper-

tissimè docent, Poëtam Berengarij æqualem fuisse, cùm pro salute eius quem *rerum magistrum*, id est rerum dominum vocat, Deum oret, & eo mortuo defuturum *Latio* seu Italiæ validum *defensorem*, ac Italiæ felicitatem perituram affirmet: quæ nisi viuo Principi precari; nisi de viuo Principe dicere Panegyristes non potuit. Iam verò vt litteris & donis ab Iohanne Papa X. ad Imperium inuitatus sit Berengarius, quanto fauore & honore à Romanis exceptus; vt Senatus Romanus, schola Græcorum, ceteríque exteri obuiam ei processerint; vt frater Papæ, & Consulis filius pedes eius sint osculati; acclamationes populi quales exstiterint; vt Papæ equo Vrbem inuectus fuerit; quo in loco quaque ratione Iohannes eum exceperit, & post vota facta in Basilicam S. Petri introduxerit; laudes Iohannis & Berengarij ibi dictas à Clero atque cantatas, preces ad monumentum Beati Petri fusas à Berengario; vt in Palatio Vaticano idem cenæ adhibitus à Iohanne, ac die demum Paschæ coronatus ante tumulum Petri Apostoli, vnctús-

que & Imperator consalutatus sit, acclamante populo Romano & vitam victoriámque nouo Imperatori precante: vt omnes superiorum Principum donationes ac beneficia vnis litteris suis confirmauerit; quæ dona Principi Apostolorum obtulerit; quanta Episcopo, Senatui populóque Romano pro Imperio munera dederit: hæc, inquam omnia ita singillatim persequitur Poëta noster, tam fusè ac tam diligenter enarrat nouem & centum versibus, vt ipsummet his rebus adfuisse non dubitem.

Pauperem se esse & de victu vestitúque sollicitum, ipse in Prologo ad librum hocce disticho fateri non erubescit.

Endromidos te cura magis victúsq; fatigat:
Hinc fugito nugas quas memorare paras.

Videtur & senex fuisse ac ætate prouectus, cùm carmen Panegyricum de laudibus Berengarij Aug. componeret. Quippe iuuenibus quibus sanguis calidior, & vena melior sit, vicem suam demandat, ac veluti lampadem tradit.

Nec tentabo meis vltrà fastidia dictis
O iuuenes, inferre: calet queis pectore sanguis,

Et plectro meliore mouet præcordia Clio.
Mille mihi satis est metris tetigisse labores:
Mæuius atque licèt videar, vos este Marones,
Et post Imperij diadema resumite laudes.

Res gestas Imperatoris Berengarij, quos *labores* non absurdè vocat propter multa & periculosa bella aduersus varios æmulos Regni, *mille* versibus complexum se dicit verè quidem, haud exactè tamen. LVIII. enim & mille versus quatuor Panegyrici libris continentur: ne de Prologo loquar, qui XVI. distichorum, siue duorum & triginta versuum imparium est.

Auctoris vt nomen, ita & patria ignoratur. Vix dubito tamen quin genere Italus fuerit: & si quis in prouincia Venetia natum crediderit, ei facillimè sum accessurus. De patria, siue Patauium, siue qua alia vrbs fuerit, non laboro. Certè tanta rerum Italicarum, tanta originis Berengarij maioris, tanta Procerum Italiæ qui tum vixere notitia, quanta Poëtæ nostro fuit, neminem in alium quàm in hominem Italum, æqualem eius ætatis

poteſt conuenire. Multa heic ad hiſtoriam illorum temporum pertinentia reperias, quæ apud alios fruſtra quæſieris. Atque vtinam non (vt ait in Prologo) *pauca facta* Berengarij *Pij* Principis paucis, ſed vniuerſas eius res geſtas fusè perſecutus eſſet. Ex his enim quæ dicit, apparet ipſum multo plura de hiſdem ſcirê quàm ſcribat. Quæ & quanta iſte, vnus aut primus omnium nos doceat, in Animaduerſionibus meis ſuis ſingula locis obſeruo. Quare nullam heic eorum mentionem faciam. Non infitiandum eſt tamen, Poëtam noſtrum nonnumquam morem Panegyriſtarum ſequi, & Poëticâ magis quàm Hiſtoricâ fide quædam omittere, aut narrando parumper immutare, ne quid Berengarij quem laudandum ſuſcepit gloriæ detrahat: ſed quàm rarò & quàm paruis in rebus id faciat, in Animaduerſionibus noto. Hominem fuiſſe pium admodum & Catholicum, ac demiſſè de ſe ſentientem, Panegyricum eius ac vel ſolum Prologum legentibus ſtatim apparebit.

Si quid in proſodia peccat: (vt non-

numquam peccat) si comparationes suas à Virgilio, Statio, ceterisque veteribus Poëtis plerumque totas mutuatur: si interdum vitiosâ verborum collocatione ac confuso ordine obscurat sententiam: si parum Latinis interdum vtitur verbis: non hæc ei vitio vertet sapiens & æquus Lector, sed ætati quâ vixit imputabit, & pro captu temporum magni faciendum carmen istud esse iudicabit, quod vtique historiæ loco habere oportet, & rerum priscorúmque morum ac rituum relatione, non sermonis elegantiâ aut versuum maiestate metiri.



PROLOGI SVMMA.

IN Prologo ad librum suum, Poëta primò caussas exponit, quæ ipsum à componendo carmine deterreant: deinde narrat, cur his parui habitis, Berengarium laudare constituerit.

In XVIII. prioribus Prologi versibus

ait sibi ederam aut laurum non esse sperandam: qualia præmia Homero Maronique, sed doctis, disertis, ac sui dissimilibus Poëtis collata sint. Et tum quidem Poëtarum carmina in Deorum templis recitari consueuisse: nunc quamlibet proseucham aut Ecclesiam sua scripta contemturam: cùm nemo curet carmina, quæ non vrbani modò sed etiam in agris rustici componant; & ipse nullum longi ac laboriosi itineris pretium tulerit. Quare timere se, ne versus sui seueris sæculi auribus indigni, sine vlla Musa verbis triuialibus facti exurantur. Parcendum igitur operæ nihil profuturæ, renuntiandum arti inutili, nugis valedicendum, & de victu potiùs vestibúsque cogitandum.

In XIV. posterioribus versibus seu VII. extremis distichis Prologi affirmat Panegyristes, se has querelas insuper habiturum, ac nihilominùs propositum exsecuturum, & maximi Principis victorias ac laudes ne à posteris ignorentur, cantaturum. Se plausu populi, ac præmiis quæ in Theatris Poëtis olim conferebantur,

non moueri. Si liber ſuus fortè à quibuſdam malis cremetur: at meliores viros ſi non auctoris aut operis; ſaltem pij Imperatoris vel materiæ amore, exemplaria eius aliqua deſcripturos ac ſeruaturos. Poſtremò, Chriſtum orat, vt cœptis ſuis adſpiret.

PANEGYRICI DE LAVDIBVS Berengarij inuicti Cæſaris PERIOCHE.

Panegyrici libri I. *Epitome.*

HÆC libro I. inſunt. Berengarius Francus, à Carolo Magno genus ducens, ſupremo iudicio & hortationi Caroli Aug. accedentibus Optimatium ſtudiis, Regnum Italiæ quod vulgò Langobardorum dicitur, obtinet ac Ticini coronatur. Wido Lamberti filius, Spoletinorum Dux & ipſe natione Francus, indignatus ab Odone, Berengario & Rodulfo ſodalibus ſuis ſui ſimilibus Regna

maxima esse occupata, ex Gallia in Italiam contendit cum copiis, adiunctísque sibi præter ceteros Camertibus ac Spoletinis, Berengario intulit bellum: à quo prœlio victus, impetrauit per Legatos, sibi vt suorum cadauera liceret sepelire.

Panegyrici libri II. *Breuiarium.*

LIBRO II. continetur Widonis aduersus Berengarium Langobardorum Regem altera pugna, & vt magnâ vtrimque cæde factâ, nox prœlium diremerit. Vtrarumque partium adiutores præcipui nominatim referuntur.

Panegyrici libri III. *Prologus.*

ARNVLFVS Rex Francorum Orientalium cùm comperisset quotidie crescere Widonis copias confluentibus ex Gallia militibus, Zwentibaldum mittit in Italiam cum armatorum manu, & auxilium ferre Berengario iubet. Ita represso Widone, Zwentibaldus monitu Berengarij ad Arnulfum patrem suum reuertitur.


uertitur. Post tres menses quàm iuuenis redierat, Wido iterum renouat bellum, & Arnulfus ipse cum maximo exercitu Italiam ingressus, Bergomum aliásque vrbes capit: vsque ad vrbem Romam viâ vi factâ accedit, in vrbem Leonianam à Romanis recipitur, & suasore Berengario domum redit. Mox Wido bellum meditabundus moritur; & Lambertus eius filius, supremorum parentis mandatorum memor, Legatum de compositione ad Berengarium mittit: per quem inuitatus ad colloquium, Ticinum petit, & cum Berengario pacem facit. Eo pacto iuuenis quietus Regnum paternum tribus annis obtinuit, ac equo præcipitatus periit. Tum Berengarius totâ ferè potitur Italiâ.

Panegyrici libri IV. *Elenchus.*

POST quadriennium accitus ab Langobardici Regni Proceribus Ludouicus Prouinciæ Rex, Ludouici iunioris Aug. ex filia nepos, finibus Italiæ Berengarium expellit, quartanâ laborantem. Berengarius simul ac conualuit, cogit

copias, & à Veronensibus nocte recipitur opido. Ibi Ludouicus in Ecclesia subitò oppressus, ac sub ortum Solis luminibus orbatus: Prouinciales qui eum secuti erant in Italiam, pulsi vndique ac transalpinas sedes suas fugâ repetere coacti. Berengarius iam iterum totius Langobardorum regni potens, à Iohanne Papa inuitatur vt Romam veniat: qua in vrbe diademate ab ipso cingitur, & vnguitur appellaturque Imperator. Hæc summa Panegyrici.





ΑΡΧΕΤΑΙ ΠΡΟΛΟΓΟΣ.



On ederam sperare vales laurúmve libelle:
Quæ largitá suis tempora prisca viris.
Contulit hæc magno labyrinthia fabula Homero,
Æneísque tibi, docte Poëta Maro.
Atria tunc diuûm resonabant carmine vatum.
Respuet en Musam quæque proseucha tuam.
Pierio flagrabat eis sed munere sanguis:
Prosequitur gressum nulla Thalia tuum.
Hinc metuo rapidas ex te nigrescere flammas;
Auribus vt nitidis vilia verba dabis.
Quid vanis totiens agitas hæc tempora dictis,
Carmina, quæ profers, si igne voranda times?
Desine: nunc etenim nullus tua carmina curat.
Hæc faciunt vrbi, hæc quoque rure viri.
Quid tibi præterea duros tolerasse labores
Profuit, ac longas accelerasse vias?
Endromidos te cura magis victúsque fatigat.
Hinc fugito nugas, quas memorare paras.
Irrita sæpè mihi cumulas quæ murmura codex;
Non poterunt votis addere claustra meis.

Seria cuncta cadant opto, & labor omnis abesto,
Dum capiti summo xenia parua dabo.
Nonne vides, tacitis abeant vt saecla triumphis,
Quos agitat toto orbe colendus homo?
Tu licet exustus vacuas soluaris in auras,
Pars melior summi scribet amore viri.
Supplice sed voto Christum rogitemus ouantes,
Quò faueat coeptis Patris ab arce meis.
Haud moueor plausu populi, vel munere circi.
Sat mihi pauca viri ponere facta pij.
Christe, poli conuexa pio qui numine torques,
Da queat vt famulus farier apta tuus.

ΑΡΧΕΤΑΙ ΤΟ ΠΑΝΗΓΥΡΙΚΟΝ ΒΕΡΕΝΓΑΡΙΟΥ ΤΟΥ ΑΝΙΚΗΤΟΥ ΚΑΙCΑΡΟC.

GRÆCIA *quaesitis cecinit si regna loquelis,*
Moribus insulsos, & relligione tyrannos
Tolleret vt quosdam immeritò super astra beandos,
Quos Lachesis nigro satius damnauit auerno.
Roma suos vario vexit si figmine post haec
Augustos ad tecta poli radiata perenni
Vibratu, simul hos stygio sorbente barathro:
Induperatorem pigeat laudare nitentem
Christicolas quidenim, caelum reserantibus odis,
Quódque replet Domini mundum spiramine totum?

Ergo Berengarium genesi factísque legendum
Rite canam, frenare dedit cui celsa potestas
Italiæ populos bello glæbáque superbos.
Stirpe recensita generis, quo stemmate pollet
Scire vacat. Nam cuncta nequit mea ferre Thalia.
Francigenam fateor Karolum prænomine Magnum
Quem tellus axi tremuit subiecta rigenti,
Quámque petens linquénsque ruit Sol aureus vndis,
Et quam torret equis totiens inuectus anhelis,
Prodit auis atauísque illo de sanguine rector
Ausoniæ. Karoli sedenim nutritus alumni
Ritè sub imperio: simili qui nomine Romam
Postremus Francis regnando coëgit habenis.
Ille virum cernens belli sub imagine lætum,
Et ratione pium regníque beamine dignum,
Egregij fidum lateris delegit amicum,
Fascibus imperiíque aptum, si bella ministrum
Fortè ruunt. Italus Princeps exercitus armis
Praduros Martis didicit sic ferre labores.
Venerat ecce dies, primi cùm fata parentis
Posceret atra lues Regem, totósque per artus
Febris iit. Moriens primos compellat amicos.
Vltima Brengario referunt dixisse propinquo.
Subdere colla tibi meritò deberet Eous,
Et licèt Occiduas cernit quos mersus in vndas
Phœbus, vterque etiam mundi quos despicit axis:
Attamen Hesperiæ proceres pro viribus ardent
Ritè subesse tibi; tanto quia digna labore
Cuncta geris: penes imperij te gloria nostri,
Atque tuis stabit Romana potentia fatis.



Hæc fans ætherias ductor concessit in auras,
Supremúmque gemens regnorum liquit habenas.
Ille quidem sic astra subit: miseranda cupido
Sed populos persuasit agens, qui limite lato
Vnius imperio soliti concurrere, plures
Vt mirentur abhinc diuersa per arua tyrannos,
Et sibi quæque legat proprium gens, omnibus idem
Dum perstaret amor, raperet ne gaudia Rhenus
Aut Araris spectata diu, glomerantur in vnum
Ausonij proceres, ac talia nuntia Regi
Ire iubent. Hæc terra satis, terræque coloni,
Fluminàque antiquos subterlabentia muros
Nota tibi. Nec te reuocet fera Gallia, digno
Quin potiare solo; trux aut Germania, quando
Sceptrigeri hoc potiùs dudum coluere propinqui,
Et genitor cunctis dilexit cariùs aruis.
His motus gressum precibus contendit ad vrbem
Irriguam cursim Ticini abeuntibus vndis.
Sustulit hic postquàm regale insigne coronam,
Non alias raptim cupidus peruadere terras,
(Quod multos iuuenum leto demersit acerbo.)
Lætitia resonant, plausu & fora cuncta resultant,
Templa sacrata virûm trepidant matrúmq; choreis,
Orgia & innuptæ concinnant clara puellæ,
Dántque choros molles: & tympana dextera pulsat,
Atque lyra graciles extenso pollice chordas
Percurrit, septémque modos modulatur auenis,
Rura colunt alij, sulcant grauia arua iuuenci,
Tondent prata greges, pendéntque in rupe capellæ,
Omnibus vna quies, & pax erat omnibus vna,

Non secus ac longa ventorum pace solutum
Æquor, & imbelli recubant vbi litora somno,
Siluarúmque comas, & abacto flamine nubes
Mulcet iners æstas: tunc stagna lacúsque sonori
Detumuere, tacent exhausti solibus amnes.
Inuidia tumidus nec passus talia Vuido
Perfurit, ac nimios profundit pectore questus,
Otia quæ Latium foueant, piget vsque fateri.
Nam video florere viros rebúsque supinos
Fertilibus, solióque Ducem considere celso,
Quem legere sibi. Montes superare profundos
Vis foret vlla mihi! forsan perfringere fœdus
Et faciles iuuenum possem subuertere mentes.
Præcipuùm Tyrrhena colunt qui rura, volentes
Subiicient mihi colla, reor. Minùs aptus in armis?
Quid? Potuit Paris egregias turbare Mycenas,
Excire atque nefanda feros in prœlia Atridas.
Quid referam, quantus sedeat Rodulfus in aula?
An qualis referam Francis dominetur in aruis
Oddo, mei similes dudum notíque sodales?
Solus egon' donis sacli priuabor opimi,
Et taciti metam solus deuoluar ad æui?
Non, donec puras animus depascitur auras,
Vel si me rapidus Mauors perstrinxerit armis,
Prouoluens iuuenum fusos in sanguine patres.
Talibus irarum dictis fundebat habenas
Mente coquens bilem: iacto velut aspera saxo
Cominùs erigitur serpens, cui subter inanes
Longa sitis latebras totósque agitata per artus
Conuocat in fauces & squamea colla venenum.

Iámque legit socios aptos furialibus ausis.
Fama volans Regis nitidas cùm perculit aures,
Conatus agitare satis Vuidonen iniquos
Fortuna seruante modum. Quatit ille tremendum
Regali de more caput, cælíque tuetur
Conuexa, atque sacris ita fatibus ora resoluit.
Tu cæli terræque sator, qui fulmina torques,
Annorúmque vices dimensáque tempora noctis,
Quatuor & mundi partes, quantum arctus ab austro
Et quantum occasus roseo consistat ab ortu,
Metiris, subeat geminos vt phosphorus ortus
Præcedens nunc Solis equos pellénsque tenebras
Noctis agat præ se gelidos aliquando iugales:
Testis adesto piis, noxámque remitte cruoris.
Si manus hæc mortis tulerit dispendia Gallis,
Debita iure mihi raptum ire volentibus arua
Infandùm. Cui tanta viro concessa potestas
Me regnis priuare? Sedet si, conditor orbis,
Pro culpis abolere viros, nil vota retardent,
Sed per cuncta ruant fati discrimina, quando
Ferrea iam scindit morituris stamina Clotho,
Ac miseros diri capitis discriminat angues
Alecto, crudele nefas, Acheronte sub imo.
Nox subit interea variis distincta figuris,
Cùm pater egregius tecto sese intulit alto
Post epulas, vbi membra toro laxauit honoro.
Annua vix toto rutilarunt sidera mundo
Pace sub hac. En fraudis agit tentamina prædo,
Quà secuit quondam aërias Rex Pœnus aceto
Imperij cupidus cautes. Vbi constitit oris

Italiæ, nunc ille minis, aliquando rogatu,
Sollicitat iuuenum hoc fluxas sermone cateruas.
Quisquis auet solidis protendere legibus æuum,
Et fasces mutare Ducis, quæ tradimus vltrò
Ritè fruens donis, nostros glomerare maniplos
Ne cunctetur ouans. Cuiquam si fortè videtur
Futile quod ferimus, robur quia ponit in armis
Brengarij, stimulis olim quia motus iniquis
Finibus absentes Gallos quæsiuit Etruscis:
Quantus in arma feror, patriis vel quantus ab oris
Ausoniam subeo, liceat deferre tyranno,
Atque vnà caris veniat fundendus in aruis.
Quis placuere vices, ac dulce mouere potentes,
Colla iugo posuere truci: malè fida recessit,
Sed penitus, Tyrrhena manus, hostésque proteruos
Exultans in regna tulit. Proh sæua nocentum
Consilia! Princeps aberat, pacémque parabat
Imperio, Veronæ Atesis quà culta salubris
Irrigat: ecce gradu celeri petit alta minister
Tecta Ducis sudore madens. Fortissime rector
(Inquit) adesto tuis. Saltu super ardua montis
Sese iniecit ouans cœtus sat in arma superbus,
Cui nisi præduros gladiis inferre maniplos
Institeris, quid opus Latio quæ dicere victo
Damna ferent? Infensus ad hæc ita reddidit olli
Rex. Iubeo, iuuenis, tantùm desiste moueri.
Non caput hoc dum vita regit diffusa per artus,
Hæc tellus cedet superata, pudétque fateri
Res Latij victas: ait, accirique sodales
Imperat. Excurrunt vastos excita per agros

Agmina, amor quibus est pacis, quîs gloria cura
Natorum dulcísque domus, vitámque perosi
Adueniunt placido glomerati pectora Regi.
Exacuunt iustas subitis rumoribus iras.
Vndique collecti postquàm venere manipli,
Ingenti fremitu pariter Ducis ante tribunal
Bella cient. Liquidas tandem se reddit ad auras
Terribilis ductor, quando latus omne sub armis
Ferrea suta terunt, humeros & pectora latè
Flammeus orbis habet, capiti tremit ærea cassis,
Et gemino dextrâ rutilant hastilia ferro.
Ensis in ore etiam præclara refulget iaspis.
Pulcher honos regúmque decus, fortissima pubes,
In mediis orsus, rabidi commercia Martis
Præsto. Manus capulo sit parta animúsque labori,
Vt decet egregios: Regnum quia tollere pessum
Vuido velit, certum est sociis atque arua vocatis
Partiri, & gremiis iuuenum subducere pactas.
Si foret huic animus mecum confligere solo,
Et pactis differre nefas, quod fluctuat armis
Mersurum populos: ait, & spumantis habenas
Implet equi; præcèpsque petit confinia belli,
Quà manus hostilis Latium pessumdabat armis.
Hic cælo vt pepulit gelidas aurora tenebras
Rorantes excussa comas multúmque sequenti
Sole rubens, galeáque viri clusere minaci
Ora, tubæque sonant, vocísque resultat imago,
Partitaque vices tolluntur in æquora gentes.
Qualis vbi audito venantum murmure tigris
Horruit in maculas, somnósque excussit inertes.

Bella cupit, laxátque genas, & temperat vngues.
Mox ruit in turmas, natísque alimenta cruentis
Spirantem fert ore virum. Sic excitus irâ
Ductor in aduersos inigit ferus arma maniplos.
Vndique consurgunt acies, & puluere cælum
Conditur, horrendísque sonat clamoribus æther.
Hic alius rapido deiectus in æquore cursu
Proteritur, pedibúsque simul calcatur equorum.
Atque alius volucri traiectus tempora telo
Cornipedis tergo pronus ruit: illius ense
Defectum longè caput à ceruice cucurrit.
Hic iacet exanimis fuso super arma cerebro.
Ille manu caret, hic gressu, nec visibus iste
Integer obruitur: campi sudore madescunt:
Sanguine manat humus: crudescens vndiq; campo
Mars turmale furit, Vuido si fulminis instar
Labitur in turmas. Libycus velut agmina campis
Læta boum cùm fortè leo procul aggere cernit,
Attollens ceruice iubas, sitiénsque cruoris,
In mediam erecto contendit pectore turbam.
Hinc fremit Ausoniæ ductor, furit inde minister
Vuido necis, propria nimiùm virtute superbus.
Inuicti valeat verùm quis ferre tyranni
Pondera virtutis? Demum dare terga coacti
Illius effugiunt comites. Clamoribus vltro
Palantes sequitur. Quæ vos dementia cepit,
Montibus vt septi, gladios vitare velitis?
O socij. Haud quondam hæc patriis promissa dabatis
Ædibus. Hesperiæ quæuis prædulcia natis
Spondentes, Reuocate gradum; quid dextera possit

Hæc, hodie cernetis, io: ne fidite cursu
Lecta manus. Frustra sedenim compellat abactos
Fulminei virtute Ducis. Desertus amicis,
Sat rationis inops, vtrúmne inglorius armis
Abscedat rediuiuo animam seruare duello,
Redditus an pulcram properet per vulnera mortem
Hostibus. Hæc secum subitò dum mente retractat,
Vnus adest comitum, ac rapidis calcaribus vrgens
Iam torpentis equi latera: Hospes inclite Gallis,
Inquit, abi: penitus nostri cessere manipli.
Nec miserum credas hominem sæuire per agmen,
Puluereos Libyes potiùs quàm monstra per agros.
Vidi equidem, geminos vno cùm sterneret ictu
Ille viros. Pudet heu fari quæ funera victis
Intulerit. Discede, precor, melioribus ausis
Seruandus. Tandem sociûm perculsus amore
Discedit, seséque suis mærentibus addit.
Nox ruit interea, curas hominúmque labores
Composuit, nigróque polos inuoluit amictu,
Omnibus illa quidem mitis, sed turbida pulso.
Voluitur irarum furiis actíque laboris,
Non tamen absque via mentísque vigore profundæ.
Namque sub occiduas versæ iam noctis habenas
Astrorúmque abitus, vbi primùm maxima Thetis
Impulit Eoo cunctantem Hyperiona Ponto,
Doctiloquos agit ille viros ad limen ouantis
Hesterna nece victoris, ne luce carentes
Prohibeat mandare solo. Iam calle peracto
Postquàm introgressi, & coram data copia fandi,
Incipiunt. Suprema dedit superare potestas

Cui; Ductor, fera bella, animum submitte rogatu.
Nam petimus, liceat socios mandare sepulcris
Æthere priuatos: malis ne membra ferinis
Facta Deo pereant, campóve relicta fatiscant.
Hoc fortis Vuido, hoc populus miseratus amicos.
Nec adeò fractæ vires, animíque labascunt,
Prœlia quin superent ac spes in nostra adigendi
Iura solum. Iuuenes vitió tabescitis omnes
Gentis (Ad hæc victor) fandi quia copia vobis
Semper, & ore magis robur quàm pectore: verùm
Plus dixisse, egisse minùs, taxatur honestum.
Tollite membra tamen, vitæ quia lumine cassis
Quid restat potius? Miseret tot mille iacentum
Vnius ob noxam, luteo quìs corpore mundi
Arcana tribuit flatum ratione creator.
Illa quidem videat Deus. At vos, æthera testor,
Aut Italis Galli celeres abscedite terris:
Aut bello fractas iterum densate catervas.
Hæc vbi dicta, viri gressum vertere frequentes
Ad socios: tollúntque citi sua funera campo
Sandapilis, reditura tubis vt cuncta ciebit
Nuntius ætheria præcurrens arce Tonantem.

EXPLICIT LIBER I.

INCIPIT LIBER II.

FLVCTVAT *interea Vuido crebróque retractat*
Milite quo bellum moueat, quæ pectora sollers
Prætendat ferro. Placuit sententia demum,
Sollicitet patria populos tellure quietos,

Vnanimes quò bella ferant virésque reducant
Effœtas, paribúsque solum potiantur habenis.
Summe Deus, qui cuncta foues, qui cuncta creasti,
Qui regis imperio cœlum, mare, sidera, terras,
Qui facis astra micent, & signa micanti acurrant,
Te precor, intende, & mihimet succurre roganti,
Ac sensus infunde meos, commercia belli
Illectósque duces vili subnectere chartæ
Quò valeam. Prior arma rapit iam Gallicus heros
Aërios ducibus montes superantibus auctus,
Anscherio cum fratre simul, qui iure proteruo
Quingentos acuunt propria de gente ministros
Instructos animo, & gladiis, nec viribus infra:
Gauslinus tercentum equites fera bella volentes
Præcelerare iubet, pariter contendit Vbertus
Bis centum pro laude viros: eadem omnibus arma,
Et cultus similis, patriæque in pectore vires:
Arma legens inimica iterum Tyrrhena iuuentus,
Inclyta gens dudum, terræque marísque duello
Apta satis, modò sed malefida, & degener vltro,
Bella cupit, pariterque cohors Camerina superbit
Munere natorum, subigitque in bella sodales
Mille. Sua virtute, magis sed prole supinus,
(Pòst monstrata fides) centeno milite lætus
Pauper adhuc Albricus abit, iam iamque resultat
Spe Camerina. Vtinam diues sine morte sodalis:
Quid furibunde ruis sociis ad crimina lectis
Ragineri? Non consilio nec viribus vllis
Vincitur, æthereo causas qui pensat olympo;
Quique Berengario Latium concessit auitum:

Collectos etiam ducit Vuilelmus amicos
Tercentum lorica habiles galeáque minaces,
Nec iaculo segnes. Totidem propellit Vbaldus.
Consimili feruore. Vacat non denique vulgus,
Instabili motum studio modicisque magistris,
Profari. Quandoque manent hi sorte labores
Doctiloquos, mihimet summam tetigisse duelli
Sufficiat, veniunt etiam, discrimina campo
Qui nuper tulerant, numero ter mille, magistris
Conserti pariter stupido restantibus aruo
Infandum. Foret his satius cecidisse duello,
Quàm miseros vidisse dies. Nam dispare fato
Disperiere. Iubet tandem Lamberticus horror
Præcipuum truncare: siti perit alter in aruis:
Vngrorum cupit infaustas differre sagittas
Tertius, alta poli scandit supremáque ponti
Tristis, vt almificis sese sustollere sceptris
Fortè queat. Hominum prô mens ignara futuri.
Nunc acies glomerant, bellum numeróq; minantur
Lætantes, timidisque etiam breuis addita virtus.
Per medios Vuido incedens gratatur amicis,
Exsultátque animis, & spe iam præcipit hostem.
Qualis vbi abruptis fugit præsepia vinclis
Tandem liber equus, campóque potitus aperto,
Aut ille in pastus armentáque tendit equarum,
Aut assuetus aqua perfundi flumine noto
Emicat, arrectisque fremit ceruicibus altè
Luxurians, ludúntque iubæ per colla, per armos.
Senserat horrisonos tandem sæuire furores
Armipotens Latij decus, & spes inclyta belli

Arma ciet, primísque virûm regnique ministris
Ociùs accitas cogant in prœlia turmas
Imperat, ac latas vacuent habitantibus vrbes.
Iussio torua means Italo iam perfurit arno,
Conueniant nocuo rursus decernere ferro,
Quîs pia iura placent. Notas exinde per vrbes
Læta nouare nefas ardet: sic præpete motu
Comit equos artúsque terit thorace iuuentus.
Nec mora, Vualfredus ter mille resumit amicos.
His manus in capulo, primis ac feruor ab annis
Hostilem turbare globum. Nec fortior alter,
Hostica quem pubes bello vereatur euntem,
Ausona cui faueat. Pariter tria fulmina belli
Supponidæ coëunt, Regi sociabat amato
Quos tunc fida satis coniunx: peritura venenis,
Sed postquàm haustura est inimica hortamina Circes.
Hos mille & quingenti equites comitantur euntes,
Obtecti Chalybum pectus de more metallo
Gentis, & vmbrati nitidis à vertice cristis.
Teutonico ritu sexcentos vrguet ouantes
Leuto viros: etiam simili strepit agmine frater
Bernardus. Stimulant longis calcaribus armos
Alipedum cuncti, & cludunt latera ardua parmis.
Germanus sic bella gerit. Nec segnis abibat
Albricus, Tiberine tuas non sanguine lymphas
Qui fraude infecit, quingentáque robora belli
Educit patriis horrentia viribus, atque
Francigenis olim duris exercita ludis.
Iámque moræ impatiens glomerat Bonifacus amicos;
Alter ab aduerso, ac paribus circumdatus armis

Berardus

Berardus numero tercentum. Maxima vulgi
Pars Italo vibrant omnes de more sarissas,
Orbe latúsque tegunt clypei pro Marte sinistrum.
Aduolat Azo ferox subigens in bella sodales,
Vicinóque suas cogens ab limite turmas
Olricus, Latium Hadriacis quà clauditur vndis,
Ac labor est sæuis gladios prætendere Abaris
Farier illectos studio Mauortis vtrimque
Pontifices vereor. Strictis ingentia dictis
Prætereo: Rheni licitum nec fœdera paucis
Effari. Hinc aliò libitum transmittere cursus.
Vt tandem collecta bonus videt agmina ductor,
Assilit in medium nitidis cernendus in armis,
Talia dicta ferens. Nostri munimina regni,
O proceres, prohibere minas Vuidonis iniquas
Sitne pium sapitis, dudum qui funera campo
Experti. Mauult igitur quia tendere fastus
Nunc etiam, rebus finem quàm ponere fessis,
Arma referte citi, & caram defendite terram
Me duce, quem dudum precibus sustollere fasces
Hortati: dixítque. Diu cessare duellum
Turba fremens queritur, subito concussa tumultu,
Vix labara opperiens. Ferus omni in pectore sæuit
Mortis amor cædísque. Nihil flagrantibus obstat.
Præcipitant redimúntque moras. Sic litora vento
Incipiente fremunt, fugitur cùm portus: vbique
Vela fluunt: laxi iactantur vbique rudentes.
Iámque natant remi, natat omnis in æquore summo
Anchora. Iam dulcis medij de gurgite Ponti
Respicitur tellus, comitésque à puppe relicti.

Campus erat dudum ſtudio damnatus iniquo.
Huc ambæ tendunt acies ſqualentibus armis.
Sed iam bella vocant. Alias nunc ſuggere vires,
Qui penſas tacita mundum ratione Creator.
Fatalem populis vltro poſcentibus horam
Admouet atra dies, ſtygiiſque emiſſa tenebris
Mors fruitur cælo, bellatorémque volando
Campum operit, nigróque viros inuitat hiatu
Arma ciens, abolètque domos, connubia, natos.
Pellitur & patria, & qui mente nouiſſimus exit,
Lucis amor, animúſque vltra thoracas anhelus
Conatur, galeaque tremunt horrore comarum.
Quid mirum caluiſſe viros? Flammantur in hoſtem
Cornipedes, niueóque rigant ſola pinguia nimbo.
Iámque ruunt, primúſque virum concurrere puluis
Incipit, ac ſpatiis vtrimque æqualibus acti
Aduentant, mediúmque vident decreſcere campum.
Pulcher adhuc belli vultus, ſtant vertice coni:
Plena armenta viris, nullus ſine præſide vector.
At poſtquàm rabies, & vita prodiga virtus
Emiſere animos, ſternúntque ruúntque viciſſim
Ictibus innumeris. Haud tanta cadentibus hædis
Aëriam Rhodopen ſolida niue verberat Arctos.
Intereà Vuidonen adit Vualfredus ouantem
Cædibus, haud regem; ſed enim qui nuper ab aruis
Sequanicis illectus erat. Capit eminùs ipſum
Haſta viri valido nimiùm contorta lacerto,
Extremo galeæ primóque in margine parmæ
Semita quà lucet: clauſo ſpiraminis hauſtu
Ilicet oppetiit. Moriens telluris alumnæ

Infelix caraque domus reminiſcitur, atque
Damna modò Latiis quia venit adeptus in aruis.
Hinc acies ſequitur cæſo ductore, furitque.
Aſcherium ſternens heros Ateſinus, & Othum,
Comminùs inſtantem metit, hunc à poplite ſectum
Cuſpide tranſmiſſa. His ſocios demitteret vmbris
Innumeros: ni Rhodanicus ſuccurrere ductor
Admonitus, feſſis ſubitò adforet vltor amicis.
Vt lupus in campis pecudes cùm vidit apertis,
Non ductor gregis ipſe comes, non horrida terret
Turba canum. Ruit, ac toto deſæuit in aruo.
Haud aliter dirum Vuido ſe tollit in æquor.
Hic celſum quòd cernit equo turbare ſodales
Erardum indignans, vno duo corpora ferro
Cornipedémque equitémque fodit: Ruit ille ruentem
In dominum, lapsíſque manu quærentis habenis
In vultu galeam clypeúmque in corpore calcat:
Saucius extremò donec cum ſanguine frenos
Reſpuit, & iuncta domino ceruice recumbit.
Otgarij, comites rabido clamore vocantis
Ora ferit frameâ: pereunt conamina vocis
Intercepta cruore. Milo verùm arma cadenti
Dum rapit, infelix Italâ deprenditur haſtâ;
Ac moriens linquit clypeum hoſtilémque ſuúmque.
Auxilio collecta ſubit tandem Auſona pubes:
Bellum ingens oritur. Multum hinc illincq; cruoris
Funditur, & totis ſternuntur corpora campis.
Nam varium virtutis opus. Nunc turba recedit,
Nunc premit, ac vicibus tellurem amittit & aufert.
Vt ventis nimbíſque minax cùm ſoluit habenas

*Aër, alterno profligens turbine mundum:
Stat cæli diuersa acies. Nunc fortior austri,
Nunc aquilonis hiems, donec pugnante procella
Aut nimiis hic vicit aquis, aut ille sereno.
Hic videt Anscherius fratrem quia vulnere labi
Albrici, ingemit, ac rapido conamine telum
Contorquens, clamore graui Sator ætheris, inquit,
Sic genus omne tuum propriis discriminet aruis,
Vt fratres Italo toruus discernis in agro.
His dictis, volat ingenti stridore per auras
Cuspis in aduersum: clypeo sed pulsa rigenti
Alipedi vadit mortem latura superbo.
Hic mortem Albricus caperet, nisi proxima virtus
Tolleret hunc iuuenum, sociis & redderet armis.
Millibus in mediis vadens, Quid inertia bello
Pectora, Vbertus ait, duris prætenditis armis
O Itali? Potiùs vobis sacra pocula cordi,
Sæpiùs & stomachum nitidis laxare saginis,
Elatásque domos rutilo farcire metallo.
Non eadem Gallos, similis vel cura remordet,
Vicinas quibus est studium deuincere terras,
Depressúmque larem spoliis hinc inde coactis
Sustentare. Miser voces dum tollit inertes,
Hasta subit latebras animi scrutata superbi,
Vuifredi librata manu super horrida fantis.
Infelix Galle, Ausonios ne dicere pigros
Fas tibi, ni fallor, digitis impacta monebit
Hasta meis. Visu ille truci dum prospicit hostem,
Labitur, & carpit moribundus dentibus herbas.
Hæ diuersa in parte vices vtrûmque cadebant.*

Sanior at miseris instat regnator Etruscis
Hesperia, timidúmque vocat Vuidona per agmen,
Nil vulgare legens, sed quæ dignissima vità
Funera, præcipuos annis animisque cruento
Fert gladio. Innumeris veluti leo fortè potitus
Cædibus, imbelles vitulos mollésque iuuencas
Transmittit. Magno furor est in sanguine mergi,
Nec nisi regnantis ceruice recumbere tauri.
Vuifredum sedenim sonipes malè fidus in armis
Rumpentem frenos diuersa per agmina raptat
Iam liber: sic fessà manus. Venit hasta per armos
Principis, & læuum iuueni transuerberat inguen,
Labentémque affigit equo. Fugit ille perempto
Consertus domino, nec iam arma aut frena tenentẽ
Portat adhuc equitem. Fratris iam membra regebat
Arduinus equo: leuà marcentia colla
Sustentans dextráque latus. Singultibus artum
Exhaurit thoraca dolor, nec vincla coërcent
Vndantem fletu galeam: cùm multa gementi
Valde grauis curuas perfringit lancea costas,
Exit & in fratrem, cognatáque pectora telo
Conserit. Ille oculos etiamnum in luce natantes
Sistit, & adspecta germani morte resoluit.
Procubuere pares fatis (Miserabile votum
Mortis) & alterna clauserunt lumina dextra.
Ac velut Edoni boreæ cùm spiritus alto
Insonat Ægeo, sequitúrque ad litora fluctus:
Quà venti incubuere, fugam dant nubila cælo.
Sic Regi quacumque viam secat, agmina cedunt,
Conuersæque ruunt acies, cadit obuia pubes.

Vt vidit ſocios Regi dare terga ſequaci
Ildeprandus, abit clamans: Perſtate ſodales,
Quid fugitis? Spectate, virum ſi pellere ferro
Fortè queam. Similes artus natura creatrix
Huic dedit, ac ſimilis ſuſtentat viſcera ſanguis.
Num ſacra riguit ſtyge? Num penetrabile plantis
Hunc modò tergus obit? Mortali vrgemur ab hoſte,
Haud legione, pium Domino quæ ſeruit ad vſum.
Sic ait, & toto connixus corpore telum
Effundens, femur ingenti ferit eminùs ictu
Ductoris Latij: ſatis hoc. Et tollere greſſum
Ponè citus facti cogente timore parabat.
Protinus intorquens iaculum ſed ductor in hoſtis
Os, terebrat faciem quartis ſine lege labellis
Increpitans. Secreta tibi committere nullus
Audebit Tyrrhene dehinc quòd apertus abunde
Hac illácque flues. Sint hæc monumenta, minorem
Te fruſtra voluiſſe meis illudere telis.
Ille quidem euaſit ſociûm circumdatus armis.
Sed victor animi tota ſucceſus in ira
Innumeram ferro plebem, ceu letifer annus
Aut iubar aduerſi graue ſideris immolat: Ite
Vociferans, veſtróque Duci narrate, Latinos
Diuidat an rectè vobis mea lancea campos.
Tyrrheni proceres iterum hinc atque inde pudore
Collecti ſtatuunt greſſum, firmántque viciſſim
Vndique ſeſe armis, oritúrque miſerrima cædes
Amborum, & ferrum ferro ſonat: vndique miſtis
Inter ſe ſtridunt mucronibus. Inſtat vtrimque
Denſa acies, rurſúſque nouo reſperſa cruore

Arua madent, ruit Hesperias dum Phœbus in vndas.
Quis modus vlterior, vel quæ discretio belli?
Ni finem daret ætherea sator orbis ab aula.
Nocte instante solo tandem spissisque tenebris
Concedunt mæsti & trucibus dirimuntur ab armis.
Tanta per Ausonios deferuere prœlia campos,
Non modò finitimis longè sed fama remotis
Dum canit: Arnulfi Germanica rura prementis,
Brengario sedenim regum per stemmata iuncti
Tendit ad Imperium solito magis hispida plumis
Amplectens vnà populum sauumque tyrannum
Gutture profuso. Coquit ille in pectore curas,
Móxq; vocans genitum, Duros Sinbalde maniplos
(Inquit) age, & rapidis Italos pete cursibus agros,
Rex vbi Brengarius audentes ardua Gallos
Insequitur bellis: tamen hos per vulnera dicas
Aut montis subito, mirum, succrescere partu.
Tot veniunt. Tantúmne potis perferre dolorem,
Nostra vt progenies propria vexetur in Aula?
Nec tibi bella dari vereor, si iunctus amico
Iueris. At muris dicas seruare superbos
Fortè animam, neque velle tuis famularier armis.
Esto: vices mutabo dehinc, & mœnia scindam
Ausoniæ, rutilam donec veniatur ad aulam
Clauigeri, & totos Araris vacuabo furores.
Paret ouans patri simili succensus amore
Mox Sinbaldus, & electo comitante ministro
Ingrediens Latium, quosdam præmittit, amico
Pacificum referant sese qui tollere gressum.
Consimili feruore subit pater obuius olli

Brengarius, celsas nimium quà tollit in arces
Se regnum, ac subitis Rhenos discriminat oris.
Hic vbi congressu dextras iunxere decoro,
Rex inquit prior: O iuuenum fortissime, nostros
Cur velis penetrare locos cunctatio nulla est.
Nuntia vera satis. Solùm rogitare necesse,
(Incolumem quia te nostris conspectibus offers)
Si fruitur pater optatis tuus optime rebus.
Inquit at ille. Valet genitor, commune leuamen.
Téque valere cupit, pacatis fœdere campis
Mansuro Latij. Celeres idcirco subegit
Nos petere Ausonias collecto milite terras.
Intereà loca tuta petit Dux Gallicus: atqui
Non geminis obstare sua virtute tyrannis
Posse videns. Illi fremitu (miserabile) clusos
Irritant, hinc inde solum peragrando Latinum.
Verùm vbi cuncta silere vident hostilibus ausis,
It monitu Regis patrias Sinbaldus ad oras,
Quòd solus queat hostilem superare furorem.
Tertia vix Luna se cornua luce replerant,
Hic lætus patriam postquàm concessit ad aulam:
En Vuido agmen agens, iterum renouare furores
Accelerat; contrà ductor depellere pestem
Instruit arma pius, tantósque recidere fastus.
Nec latet Arnulfum rursus succrescere bellum
Hesperiâ. Vuidonem etiamnum milite fretum
Affore, ceruicésque procaci adtollere fastu
Audiit, ac solio quo fortè sedebat eburno
Exsilit, ingentíque domum clamore repleuit.
Fortia iussa citò scribæ sulcate papyris,

Actutum populos cogant quæ adstare iubenti,
Quàm varios linguis, tam duros pectore & armis.
Namque iuuat Latio clarum me visere amicum;
Quem totiens Rhodanus vexat properante Lemano
Milite. Quò fugient ergo? Cælumne subibunt?
An latebras terræ quærent, liquidive profundi?
Oderit Hesperia, faxo, Dux nomen amatæ
Improbus, extremis terræ vel postus in oris.
Talibus infestas metuenda mole cateruas
Præstruit, irarúmque graues emittit habenas.
Eridanus veluti niuibus feruore solutis,
Præruptùm exit in arua fluens, campósq; per omnes
Cum stabulis armenta ruit, radicitùs alnos
Litoreas fluctu vndarum labente resorbens.
Iámque solum tenet Ausonium Dux ille verendus:
Cùm Vuidonis abit rancore soluta superbo
Fama in castra rei. Sociis extemplò vocatis
Tunc ait: O proceres, quid opus depromere verbis,
Quò res imperij vergantur pondere belli?
Collectis quando Hister adest hinc inde fluentis
Excidio nostri. Moneo, seruate secundis
Rebus eò vosmet, tantis ac parcite bellis,
Abscedat donec proprios Arnulfus ad agros.
Pingue solum intereà regum dum lustrat vterque,
Pergami adueniunt vrbem, quam detinet vltro
Munitam iaculis nimiùm sudibúsque præustis,
Natura tribuente locum satis arcibus aptum,
Ambrosius pesti miser heu deuotus iniquæ.
Qui regum infelix postquàm defertur ad aures,
Obsidione iubent densa circumdare muros,

Ne capiat sociûm quemquam, exteriúsve remittat,
Dispersi donec populi tot luce sequenti
Conueniant, captúmque locis emittere firmis
Vi certent, ausit rursus ne talia quisquam.
Postera cùm primùm stellas aurora fugarat,
Vrbis ad excidium properat Germana iuuentus
Vndique luctifico sonitu compulsa tubarum.
Hìc fossas implent alij, muróque propinquant:
Pars scalis etiam tendunt conscendere turres.
Vrget enim vtrorumque nimis præsentia Regum,
Mœnia quod retinent carum pro munere dantum.
Omne genus contrà telorum effundere ciues
Præduriśque parant hostes detrudere contis,
Nec possunt obstare tamen, tot millibus acti
Deficiunt verùm. Cadit hic cum fragmine muri:
Ille ruit fossus iaculo; sine viribus alter
Stat rationis inops. Reclusis vndique portis
Vrbs patet, hostili iam iam confusa tumultu.
Ecce verenda priùs nullo sub honore tenentur
Atria. Nam scissis pereunt velamina vittis
Virginis: impulsúsque sacer fugit ipse minister,
Quorumdam stringunt ambas quia vincula palmas,
Oscula quæ solitæ sacris sentire litatis.
Ambrosius auctor sceleris foméśque malorum,
Vt tandem videt immites dominarier hostes
Arcibus, adscensu celeri petit ardua turris,
Nil sibi sub tanto fidens superesse periclo.
Ædibus ingeniis quorumdam marte refertis,
Pellitur inde tamen, victis accinctus & armis
Arnulfo manibus trahitur post terga reuinctis.

Ille calens irâ, testatur cuncta creantem,
Arboris hunc ramis subitò demittier alta:
Proh genus inuisum leti, suspendere ventis
Debita membra solo: mortalibus altera rerum
Pars datur, ac membris prohibetur glæba caducis.
Hinc igitur iuuenum soluuntur frigore mentes.
Vrbibus excedunt, laxísque repagula portis
Dissindunt, hostésque feros in mœnia linquunt.
Sed quia non illis Prædo tutacula terris
Obtinuit, subitò Etruscas procinctus ad oras
Vertit iter, Regum imperio Romana petentum
Atria: ne summa forsan quia mansit in aula,
Haud latuisse queat Gallus se dicere, postquàm
Fluctiuagas Rheni Arnulfus remearit ad vndas.
Fugerat hic Romana vafer sed culmina tandem,
Ne lepidos caperent siquidem sedata tyrannos.
Hi tamen accitis hostilia crimina pandunt
Signiferis, vexilla iubéntque educere castris,
Viribus ac totis clausas insistere portas:
Vi saltem reserantis adire vt limina cælum
Principis Ecclesiæ liceat, ne friuola tantos
Propellant figmenta viros, & vota retardent
Præsenti promissa loco templísque dicatis.
Talibus imperiis talíque hortamine Regum
Induuias rapiunt cuncti Mauortis anheli,
Commissas auidi ferro proscindere portas.
Iam quia parta sibi speculantur nigra Quirites,
Vndique diffutis reserant penetralibus Vrbem,
Admittúntque Duces veneranda ad delubra mites:
Hic vbi perfectis nituere altaria votis,

Ardet inexpletum ductor proferre furorem
Barbarus. Infrenes animos sic ira fatigat.
Quid faciat, quò se vertat, quæ mœnia visat,
Ignorat rationis inops. Nam summa tenebat,
Spes vbi pestiferis restabat postera Gallis.
At ductor Latij socium sine more tyrannum
Vt videt ingruere, placido sic pectore cœpit.
Desine Rex venerande: satis virtute peractum:
Nec decet vlteriùs socios deducere Rhenos.
Nam si itidem Vuido victis spem ponit in armis,
Adueniat tumidus, dextra hac, sine, posco domandus,
Te dominante viris antiquo fœdere iunctis.
Mitior his dictis, patitur repedare volentes
Barbaricos proceres diuerso ab limite lectos
Germanæ princeps metuendus & arbiter aulæ.
Vix proprios tetigit fines Rex ille verendus:
Legirupis en Vuido tubis rediuiua resumit
Agmina, item vetitos cupiens peruadere campos.
Sæuior ipse etiam Regni pater hostibus arma
Molitur, tantos auidus finire labores.
Intereà sors lecta Dei, circumdata saccis,
Vota facit, vultum lacrimis altaria circum
Suffusa, has imo referebat pectore voces.
O rerum genitor, cunctis metuenda potestas,
Imperio qui bella regis pacemque perenni,
Da tantos cessare dolos; da criminis auctor
Veloci pereat leto: da tempora nostro
Longa duci, quando gemina fert laude coronam,
Virtutis merito, & generis, quod stemmate pollet.
Audiit ista sator, totum qui curuat Olympum:

Mortis adesse diem cogit fera bella mouenti,
Sic tamen vt proprio componat lumina lecto.
Vltima lux instat, nec iam spes vlla diei,
Cùm vocat hic natum tanto pro funere mæstum,
Hæc monita fractis promens memoranda loquelis.
Nate vides, quàm dura premant dispendia vitam,
Quæ Pater ille hominum vetiti pro crimine pomi
Intulit, & rupto maculauit fœdere massam.
Nec patriis vltra poteris tutarier armis.
Namque rapit natura diem, somnúmque reducit.
Percipe verba tamen positi sub fine parentis,
Et ratione vales quacumque, adsciscere forti
Brengario. Hunc etenim fato meliore sequetur
Hesperia, & nostris etiam dominabitur aruis.
Nec plura effatus, medio sermone resistit,
Et vitam pariter moriens & famina linquit.
Lætantur populi mortis cecidisse ministrum,
Et curis soluunt animos ac marte lacertos.
Vt cùm Sole malo tristíque rosaria pallent
Vsta noto: si clara dies Zephyríque refecit
Aura polum, redit omnis honos, emissáque lucent
Germina, & informes ornat sua gloria virgas.
Pars quoq; magna virûm properãt, Vuidone sepulto,
Orantes veniam Latij ductoris ad aulam,
Dum Vuidone satum inualido comitante ministro
Deficiunt, duplici nimiùm discrimine mæstum,
Morte patris, simul ac notis abeuntibus armis.
Ac recolens præcepta patris, iubet ire sodalem
Qui pacem petat, ac Regem summissus adoret.
Ne memor esse velit genitoris bella gerentis,

Sed legat in regnum sociali fœdere amicum,
Militiaque etiam, Mauors si quando ministrum
Bella ciet. Dux intereà venerabilis æuo
Fert pietatis opem venientibus vltro maniplis,
Nec Gallos abicit, nec crimina ponit Etruscis:
Prætendit solitò verùm pia viscera cunctis.
Nuntius in medio demum vt Lamberticus adstat,
Et quæ sit fortuna viro pacisque voluntas
Edocet. Ipse Pater miti sic pectore reddit.
Æqua referre malis nimiùm sacra iura recusant.
Namque poli sensum demissum traximus arce,
Cuius egent prona & terram spectantia. Mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantùm animã, nobis animũ quoq; mutuus vt nos
Affectus petere auxilium & præstare iuberet.
Nec genitus gignentis habet pro crimine noxam,
Veridico cecinit quondam velut ore Propheta.
Quapropter veniat, noster dicendus amicus
Hac ratione, fidẽ, violet ne iura proteruus,
In leui cumulans genitoris pectore technam.
Sin tenet ille dolum iuuenili mente resumtum,
Colligat arma citò, patrique simillimus vltro
Exercens studium, faxit per bella periclum.
Percipit hæc hilaris postquàm iuuenilis alumnus,
Procidit, & supplex Regi, veneratur amorem
Quo tellus, pelagus seruant atque astra tenorem,
Ne pontus liquidis aruum subuertat habenis,
Aut ignita poli mergantur sidera lymphis.
Hinc remeans iuueni defert sua nuntia voti,
Ordine cuncta monens: Tandem Rex optimus atque

Lambertus properant, vbi fertilis vnda Ticini
Alluit egregiam fluuij cognomine dictam
Vrbem, in quâ soliti Regem spectare Latini.
Mutua verba serunt, postquàm promittit vterque
Mansurum fœdus, roseis dum vecta quadrigis
Fluctibus Oceani perfunditur orbita Phœbi,
Aut tellus immota manet, nec pondere cedit,
Vndique pulcra tuens vertentem sidera mundum,
Si tot vita virûm posset durare per annos.
O iuuenale decus, si mens non læua fuisset!
Sæpè datas voluit pacis rescindere dextras
Fraudibus inuentis. Sed enim ratione sagaci
Deprendis Pater alme dolos, ac murmura temnis.
Tertia mox tamen hunc Latio produxerat æstas
Vbere telluris potientem pace sequestra.
Ecce dies instat iuuenilibus æmula factis,
Mortis acerba ferens. Studio iam vadit in altos
Venandi lucos, cupiens sibi mittier aprum,
Informem aut rapidis occurrere motibus vrsum.
Auia sed postquàm nimio clamore fatigant
Præcipites socij, ipse vno comitante ministro
Dum sternacis equi foderet calcaribus armos,
Implicitus cecidit sibimet sub pectore collum,
Abrumpens teneram colliso gutture vitam.
Bucina tristè canens disiunctos vsque sodales
Conuocat, ac domini letum crudele resignat.
Hoc sonitu nemus omne tremit, fugiúntque volucres
Elapsæ pennis, possessáque lustra relinquit
Omne pecus. Tanto sonitu glomeratur vtrimque
Lecta manus comitum, disrupto & gutture mutum

Flebilibus iuuenem vocitat clamoribus: ille
Nititur infelix fractas proferre loquelas.
Succidit in mediis equidem cònatibus æger,
Vlteriùs nec lingua valet, nec verba sequuntur.
Haud segnes socij crates & molle feretrum
Arbuteis texunt virgis ac vimine querno,
Exstructósque toros obtentu frondis inumbrant.
Hìc iuuenem agresti sublimem in stramine ponunt.
Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi,
Cui neque fulgor adhuc necdum sua forma recessit,
Non iam mater alit tellus virésque ministrat.
Talibus expostum studiis ad templa reportant,
Vt condant digno iuuenilia membra sepulcro.
Hic vbi ductoris repleuit nuntius aureis
Brengarij, Vuidone satum cecidisse coactum
Cornipedis tergo: trahit has de pectore voces.
Heu mortis metuenda lues, quæ dulcibus annis
Inseritur, tristésque negat componere soles.
Dignior hic genitore foret, compluribus ille
Vixerit ac Latium quamuis turbauerit annis.
Vndique tota cohors Regni concurrit in vnum
Vociferans. Pie Rex nostri miserere laboris,
Ne geminis posthac cogamur adesse tyrannis:
Cùm solus placeas rebus superesse Latinis.
Vt Phœbo roseis aruum laxante quadrigis
Vere nouo, gaudent pecudes fœtúque grauantur,
Humor adest herbis, ac vastis semina sulcis,
Gratus aër pennis, æquórque meabile nautis:
Cuncta nitent. Succedit enim natura creatrix,

Et

Et rebus proprias certo dat tempore formas.
Haud secus Italiæ gestit sub principe tellus,
Impacatus vbi ab superis cum prole recessit
Guido ferus, fastúsque odij moriendo resoluit.

EXPLICIT LIBER III.

INCIPIT LIBER IV.

QVARTA *igitur Latio vixdum deferbuit æstas;*
Hac ratione iterum solito sublata veneno
Bellua, Tyrrhenis fundens fera sibila ab oris
Sollicitat Rhodani gentem: cui moribus auctor
Temnendus Ludouicus erat, sed stirpe legendus,
Brengario genesi coniunctus quippe superba.
Hic dudum Ausonium cupidus regnasse per aruum:
Sed vetuit fortuna. Modò quia nuntia votis
Accipit, extemplò sociis ad tecta vocatis
Regia, Quæ totiens (inquit) voluistis amici,
En voluenda dies vltrò attulit: este parati,
Prædulcésque petamus agros. Nam rure vocamur
Vicino Italiæ. Vires huc fortè superbas
Dum tulero, propriis discedet ductor ab oris.
O miser, inque dies miser, inuictúmne lacessas?
Num te fama ducis totum vulgata per orbem
Præterit? O Genitor, rerum compesce furores:
Nescio namque mali quid mens præsagat eunti.
Iamq; valēs modicùm inualidos Prouincia alumnos
Legat in Ausonios inimico nomine campos.

Nec victor, decus & Latij spes vnica regni
Tunc Veneti seruare solum de nomine dictum
Quartanam patiens poterat, nec tendere bellum
Hostibus, immodicas animo sed decoquit iras.
Vt caueis cùm fortè leo vinclisque tenetur,
Non artes agitare valet, non promere vires,
At duro premitur tantùm sub lege magistro.
Forte aliqua partos valeat si rumpere nodos,
Atque diu desueta cruor madefecerit ora,
Ipse lacer custos iras prior imbuet: inde
Obuia turba virûm morsus satiabit amaros.
Intereà Ludouicus ouat, regnúmque fatigat
Fastibus, ac tantos sibimet blanditur honores,
Hoste velut necto spoliis potiatur opimis.
Infaustus Veronæ etiam contendit ad arcem.
More pij Regis tamen, vt subsedit apertis
Mœnibus, antiquos sociis disterminat agros.
Nil veritus: metuenda nimis quia sustulit ipsum
Fama, Berengarium leti dispendia passum.
Ah! Latium, quis te tantis defenderet armis?
Ergo pius Genitor rerum seruato magistrum,
Ne pereant vno Latialia gaudia leto.
Conualuit quia regnator tamen, vndique lecti
Conueniunt proceres lati, vexilláque castris
Proripiunt, celerésque Atesis ad mœnia tendunt.
Hæc obiter comi referantes famina Regi.
Te petimus, pietatis honor, nec parua precatu
Credimus hæc: vrbem propriis si ceperis armis,
Membra viros sine curtari, qui fœdera Regni
Proturbant totiens, damnum pietatis iniquæ

Ne patiamur. Ad hæc, Animis aduertite ductor
O proceres inquit monitus, & crimina capto
Ne conferte viro, generis quia sanguine pollet,
Et forsan facinus maturis deseret annis.
Testetur pia iura poli, & dimissus abito:
Hoc satis. Hi contrà celeres cum murmure gressus
Intendunt, rabidas acuentes pectoris iras:
Nil moti dictis, potiùs fera murmura rodunt
Non se posse malum posthac dimittere inultum.
Talibus adueniunt vrbem, muróque propinquant:
Ilicet admissi penetrant miserabile templum,
Quo Ludouicus erat: subitò rapiúntque ligántque;
Et pulcros adimunt oculos. Securus in aula
Fortè sedebat enim; idcircò pia munera lucis
Perdidit, obsessus tenebris quoque Solis in ortu.
Tu ponens etiam curtum femorale Iohannes,
Alta tenes turris; si fortè resumere vitam
Sis potis: hinc traheris tamen ad discrimina mortis,
Et miser in patria nudus truncaris arena.
Nuntius at postquàm sociorum allabitur aures,
Prælatum iuuenem communi lumine cassum:
Consilij fugiunt inopes, passímque recedunt.
Flante velut Zephyro liquescunt aëros auræ
Vere nouo, gremium soluunt cùm rura coactum
Frigore brumali crebris Boreæque pruinis
Nec remouere viros cessat de parte superbos
Fortis Adalbertus iuuenilibus obsitus annis,
Apenninicolas fausto qui nomine turmas
Elicit, egregio cupidus seruire magistro.
Emicuit subitò in mediis lux alma tenebris,

Et rediit pax grata piis, procul agmine tristi
Exempto, patriaque duce ac genitore recepto.
Qui licet effusos toto egerit orbe triumphos,
Cluserat Imperij necdum diademate vultum,
Romana steterat rutilus nec vestibus aula,
Induperatorum solito de more parentum.
Cur? Nisi quòd vicisse dolos virtute decebat,
Ad summum transire gradum, nisi sæpè vocatum?
Summus erat pastor tunc temporis Vrbe Iohannes,
Officio affatim clarus sophiàque repletus,
Atque diu talem meritò seruatus ad vsum.
Quatenus huic prohibebat opes vicina Charybdis,
Purpura quas dederat maiorum sponte Beato,
Limina qui reserat castis rutilantia Petro.
Dona duci mittit sacris aducta ministris,
Quò memor extremi tribuat sua iura diei
Romanis, fouet Ausonias quo numine terras,
Imperij sumpturus eo pro munere sertum,
Solus & occiduo Cæsar vocitandus in orbe.
Talibus euictus precibus, iubet agmina Regni
Quiscum bella tulit, quiscum sacra munera pacis,
Affore, quæ tanti gressum comitentur honoris.
Iamque iter emensus postquàm confinia Romæ
Attigit, ire iubet celeres ad templa sodales,
Vicinum qui se referant. Sonat ecce Subura
Vocibus elatis populi. Properate fauentes,
Rex venit, Ausoniis dudum exspectatus ab oris,
Qui minuet solita nostros pietate labores.
Feruere tunc videas Vrbem, & procedere portis
Quot Roma gremio gentes circumdat auito.

Intereà princeps collem qui prominet vrbi
Præteriens, vbi se prato committit amœno,
Singula quæque modis incendunt æthera miris
Agmina. Namque priùs patrio canit ore Senatus,
Præfigens sudibus rictus sine carne ferarum:
Indicio, deuicta cadent tentamina posthac,
Si qua hostes animo cupient agitare ferino.
Dædaleis Graius sequitur laudare loquelis.
Stoïcus hic noster, cluibus quia pollet Athenis,
Et sollers iter in Samia bene callet arena.
Cetera turba pium natiua voce tyrannum
Prosequitur, totáque docet tellure magistrum.
Hîc etiam iuuenes nitida respergine creti,
(Alter Apostolici nam frater, Consulis alter
Natus erat) pedibus defigunt oscula Regis.
Hinc vbi Præsul erat, gressum comitantur herilem
Vestibuli ante fores, graduum quà peruius vsus
Aduehit ornatam cupidos intrare per aulam.
Ille quidem sacro fulgens residebat amictu,
Altarisque subibat ouans hinc inde minister.
Quid referam populos istinc illincque coactos,
Vndantésque gradus, cùm Rex ad templa subiret,
Euectus Pastoris equo? Mox quippe sacerdos
Ipse futurus erat, titulo res digna perenni.
Aduenit vt tandem, lecto comitante ministro,
Atque pedes sensim gradibus conatur ab imis:
Vndique turba premit, cui vix obstare satelles
Voce valet nutúque minans. Erat omnibus ardor
Cernere præsentem, cupiunt quem sæcula Regem.
Ter quoque sacra pius gradibus vestigia fixit,

Ardet inexpletum ductor proferre furorem
Barbarus. Infrenes animos sic ira fatigat.
Quid faciat, quò se vertat, quæ mœnia visat,
Ignorat rationis inops. Nam summa tenebat,
Spes vbi pestiferis restabat postera Gallis.
At ductor Latij socium sine more tyrannum
Vt videt ingruere, placido sic pectore cœpit.
Desine Rex venerande: satis virtute peractum:
Nec decet vlteriùs socios deducere Rhenos.
Nam si itidem Vuido victis spem ponit in armis,
Adueniat tumidus, dextra hac, sine, posco domandus,
Te dominante viris antiquo fœdere iunctis.
Mitior his dictis, patitur repedare volentes
Barbaricos proceres diuerso ab limite lectos
Germanæ princeps metuendus & arbiter aulæ.
Vix proprios tetigit fines Rex ille verendus:
Legirupis en Vuido tubis rediuiua resumit
Agmina, item vetitos cupiens peruadere campos.
Sæuior ipse etiam Regni pater hostibus arma
Molitur, tantos auidus finire labores.
Intereà sors lecta Dei, circumdata saccis,
Vota facit, vultum lacrimis altaria circum
Suffusa, has imo referebat pectore voces.
O rerum genitor, cunctis metuenda potestas,
Imperio qui bella regis pacemque perenni,
Da tantos cessare dolos; da criminis auctor
Veloci pereat leto: da tempora nostro
Longa duci, quando gemina fert laude coronam,
Virtutis merito, & generis, quod stemmate pollet.
Audiit ista sator, totum qui curuat Olympum:

Mortis adesse diem cogit fera bella mouenti,
Sic tamen vt proprio componat lumina lecto.
Vltima lux instat, nec iam spes vlla diei,
Cùm vocat hic natum tanto pro funere mæstum,
Hæc monita fractis promens memoranda loquelis.
Nate vides, quàm dura premant dispendia vitam,
Quæ Pater ille hominum vetiti pro crimine pomi
Intulit, & rupto maculauit fœdere massam.
Nec patriis vltra poteris tutarier armis.
Namque rapit natura diem, somnúmque reducit.
Percipe verba tamen positi sub fine parentis,
Et ratione vales quacumque, adsciscere forti
Brengario. Hunc etenim fato meliore sequetur
Hesperia, & nostris etiam dominabitur aruis.
Nec plura effatus, medio sermone resistit,
Et vitam pariter moriens & famina linquit.
Lætantur populi mortis cecidisse ministrum,
Et curis soluunt animos ac marte lacertos.
Vt cùm Sole malo tristíque rosaria pallent
Vsta noto: si clara dies Zephyríque refecit
Aura polum, redit omnis honos, emissáque lucent
Germina, & informes ornat sua gloria virgas.
Pars quoq; magna virûm properāt, Vuidone sepulto,
Orantes veniam Latij ductoris ad aulam,
Dum Vuidone satum inualido comitante ministro
Deficiunt, duplici nimiùm discrimine mæstum,
Morte patris, simul ac notis abeuntibus armis.
Ac recolens præcepta patris, iubet ire sodalem
Qui pacem petat, ac Regem summissus adoret.
Ne memor esse velit genitoris bella gerentis,

Sed legat in regnum sociali fœdere amicum,
Militiaque etiam, Mauors si quando ministrum
Bella ciet. Dux intereà venerabilis auo
Fert pietatis opem venientibus vltro maniplis,
Nec Gallos abicit, nec crimina ponit Etruscis:
Prætendit solitò verùm pia viscera cunctis.
Nuntius in medio demum vt Lamberticus adstat,
Et quæ sit fortuna viro pacísque voluntas
Edocet. Ipse Pater miti sic pectore reddit.
Æqua referre malis nimiùm sacra iura recusant.
Namque poli sensum demissum traximus arce,
Cuius egent prona & terram spectantia. Mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantùm animã, nobis animũ quoq; mutuus vt nos
Affectus petere auxilium & præstare iuberet.
Nec genitus gignentis habet pro crimine noxam,
Veridico cecinit quondam velut ore Propheta.
Quapropter veniat, noster dicendus amicus
Hac ratione, fidẽ violet ne iura proteruus,
In leui cumulans genitoris pectore technam.
Sin tenet ille dolum iuuenili mente resumtum,
Colligat arma citò, patrique simillimus vltro
Exercens studium, faxit per bella periclum.
Percipit hæc hilaris postquàm iuuenilis alumnus,
Procidit, & supplex Regi, veneratur amorem
Quo tellus, pelagus seruant atque astra tenorem,
Ne pontus liquidis aruum subuertat habenis;
Aut ignita poli mergantur sidera lymphis.
Hinc remeans iuueni defert sua nuntia voti,
Ordine cuncta monens. Tandem Rex optimus atque

Lambertus properant, vbi fertilis vnda Ticini
Alluit egregiam fluuij cognomine dictam
Vrbem, in qua soliti Regem spectare Latini.
Mutua verba serunt, postquàm promittit vterque
Mansurum fœdus, roseis dum vecta quadrigis
Fluctibus Oceani perfunditur orbita Phœbi,
Aut tellus immota manet, nec pondere cedit,
Vndique pulcra tuens vertentem sidera mundum,
Si tot vita virûm posset durare per annos.
O iuuenale decus, si mens non laua fuisset!
Sæpè datas voluit pacis rescindere dextras
Fraudibus inuentis. Sed enim ratione sagaci
Deprendis Pater alme dolos, ac murmura temnis.
Tertia mox tamen hunc Latio produxerat æstas
Vbere telluris potientem pace sequestra.
Ecce dies instat iuuenilibus æmula factis,
Mortis acerba ferens. Studio iam vadit in altos
Venandi lucos, cupiens sibi mittier aprum,
Informem aut rapidis occurrere motibus vrsum.
Auia sed postquàm nimio clamore fatigant
Præcipites socij, ipse vno comitante ministro
Dum sternacis equi foderet calcaribus armos,
Implicitus cecidit sibimet sub pectore collum,
Abrumpens teneram colliso gutture vitam.
Bucina tristè canens disiunctos vsque sodales
Conuocat, ac domini letum crudele resignat.
Hoc sonitu nemus omne tremit, fugiúntque volucres
Elapsæ pennis, possessáque lustra relinquit
Omne pecus. Tanto sonitu glomeratur vtrimque
Lecta manus comitum, disrupto & gutture mutum

Flebilibus iuuenem vocitat clamoribus: ille
Nititur infelix fractas proferre loquelas.
Succidit in mediis equidem conatibus æger,
Vlteriùs nec lingua valet, nec verba sequuntur.
Haud segnes socij crates & molle feretrum
Arbuteis texunt virgis ac vimine querno,
Exstructósque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic iuuenem agresti sublimem in stramine ponunt.
Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi,
Cui neque fulgor adhuc necdum sua forma recessit,
Non iam mater alit tellus viresque ministrat.
Talibus expostum studiis ad templa reportant,
Vt condant digno iuuenilia membra sepulcro.
Hic vbi ductoris repleuit nuntius aureis
Brengarij, Vuidone satum cecidisse coactum
Cornipedis tergo: trahit has de pectore voces.
Heu mortis metuenda lues, quæ dulcibus annis
Inseritur, tristésque negat componere soles.
Dignior hic genitore foret, compluribus ille
Vixerit ac Latium quamuis turbauerit annis.
Vndique tota cohors Regni concurrit in vnum
Vociferans. Pie Rex nostri miserere laboris,
Ne geminis posthac cogamur adesse tyrannis:
Cùm solus placeas rebus superesse Latinis.
Vt Phœbo roseis aruum laxante quadrigis
Vere nouo, gaudent pecudes fœtúque grauantur,
Humor adest herbis, ac vastis semina sulcis,
Gratus aër pennis, æquórque meabile nautis:
Cuncta nitent. Succedit enim natura creatrix,

Et

Et rebus proprias certo dat tempore formas.
Haud secus Italiæ gestit sub principe tellus,
Impacatus vbi ab superis cum prole recessit
Guido ferus, fastúsque odij moriendo resoluit.

EXPLICIT LIBER III.

INCIPIT LIBER IV.

QVARTA *igitur Latio vixdum deferbuit æstas;*
Hac ratione iterum solito sublata veneno
Bellua, Tyrrhenis fundens fera sibila ab oris
Sollicitat Rhodani gentem: cui moribus auctor
Temnendus Ludouicus erat, sed stirpe legendus,
Brengario genesi coniunctus quippe superba.
Hic dudum Ausonium cupidus regnasse per aruum:
Sed vetuit fortuna. Modò quia nuntia votis
Accipit, extemplò sociis ad tecta vocatis
Regia, Quæ totiens (inquit) voluistis amici,
En voluenda dies vltrò attulit: este parati,
Prædulcésque petamus agros. Nam rure vocamur
Vicino Italiæ. Vires huc fortè superbas
Dum tulero, propriis discedet ductor ab oris.
O miser, inque dies miser, inuictúmne lacessas?
Num te fama ducis totum vulgata per orbem
Præterit? O Genitor, rerum compesce furores:
Nescio namque mali quid mens præsagat eunti.
Iamq; valēs modicūm inualidos Prouincia alumnos
Legat in Ausonios inimico nomine campos.

Nec victor, decus & Latij spes vnica regni
Tunc Veneti seruare solum de nomine dictum
Quartanam patiens poterat, nec tendere bellum
Hostibus, immodicas animo sed decoquit iras.
Vt caueis cùm forte leo vinclisque tenetur,
Non artes agitare valet, non promere vires,
At duro premitur tantùm sub lege magistro.
Forte aliqua partos valeat si rumpere nodos,
Atque diu desueta cruor madefecerit ora,
Ipse lacer custos iras prior imbuet: inde
Obuia turba virûm morsus satiabit amaros.
Intereà Ludouicus ouat, regnúmque fatigat
Fastibus, ac tantos sibimet blanditur honores,
Hoste velut necto spoliis potiatur opimis.
Infaustus Veronæ etiam contendit ad arcem.
More pij Regis tamen, vt subsedit apertis
Mœnibus, antiquos sociis disterminat agros,
Nil veritus: metuenda nimis quia sustulit ipsum
Fama, Berengarium leti dispendia passum.
Ah! Latium, quis te tantis defenderet armis?
Ergo pius Genitor rerum seruato magistrum,
Ne pereant vno Latialia gaudia leto.
Conualuit quia regnator tamen, vndique lecti
Conueniunt proceres læti, vexilláque castris
Proripiunt, celerésque Atesis ad mœnia tendunt,
Hæc obiter comi referantes famina Regi.
Te petimus, pietatis honor, nec parua precatu
Credimus hæc: vrbem propriis si ceperis armis,
Membra viros sine curtari, qui fœdera Regni
Proturbant totiens, damnum pietatis iniquæ

Ne patiamur. Ad hæc, Animis aduertite ductor
O proceres inquit monitus, & crimina capto
Ne conferte viro, generis quia sanguine pollet,
Et forsan facinus maturis deseret annis.
Testetur pia iura poli, & dimissus abito:
Hoc satis. Hi contrà celeres cum murmure gressus
Intendunt, rabidas acuentes pectoris iras:
Nil moti dictis, potiùs fera murmura rodunt
Non se posse malum posthac dimittere inultum.
Talibus adueniunt vrbem, muróque propinquant:
Ilicet admissi penetrant miserabile templum,
Quo Ludouicus erat: subitò rapiúntque ligántque;
Et pulcros adimunt oculos. Securus in aula
Fortè sedebat enim, idcirco pia munera lucis
Perdidit, obsessus tenebris quoque Solis in ortu.
Tu ponens etiam curtum femorale Iohannes,
Alta tenes turris; si fortè resumere vitam
Sis potis: hinc traheris tamen ad discrimina mortis,
Et miser in patria nudus truncaris arena.
Nuntius at postquàm sociorum allabitur aures,
Prælatum iuuenem communi lumine cassum:
Consilij fugiunt inopes, pasśimque recedunt.
Flante velut Zephyro liquescunt aëros aura
Vere nouo, gremium soluunt cùm rura coactum
Frigore brumali crebris Boreæque pruinis
Nec remouere viros cessat de parte superbos
Fortis Adalbertus iuuenilibus obsitus annis,
Apenninicolas fausto qui nomine turmas
Elicit, egregio cupidus seruire magistro.
Emicuit subitò in mediis lux alma tenebris,

Et rediit pax grata piis; procul agmine tristi
Exempto, patriaque duce ac genitore recepto.
Qui licet effusos toto egerit orbe triumphos,
Cluserat Imperij necdum diademate vultum,
Romana steterat rutilus nec vestibus aula,
Induperatorum solito de more parentum.
Cur? Nisi quòd vicisse dolos virtute decebat,
Ad summum transire gradum, nisi sæpè vocatum?
Summus erat pastor tunc temporis Vrbe Iohannes,
Officio affatim clarus sophiaque repletus,
Atque diu talem meritò seruatus ad vsum.
Quatenus huic prohibebat opes vicina Charybdis,
Purpura quas dederat maiorum sponte Beato,
Limina qui referat castis rutilantia Petro.
Dona duci mittit sacris aduecta ministris,
Quò memor extremi tribuat sua iura diei
Romanis, fouet Ausonias quo numine terras,
Imperij sumpturus eo pro munere sertum,
Solus & occiduo Cæsar vocitandus in orbe.
Talibus euictus precibus, iubet agmina Regni
Quiscum bella tulit, quiscum sacra munera pacis,
Assore, quæ tanti gressum comitentur honoris.
Iamque iter emensus postquàm confinia Romæ
Attigit, ire iubet celeres ad templa sodales,
Vicinum qui se referant. Sonat ecce Subura
Vocibus elatis populi. Properate fauentes,
Rex venit, Ausoniis dudum exspectatus ab oris,
Qui minuet solita nostros pietate labores.
Feruere tunc videas Vrbem, & procedere portis
Quot Roma gremio gentes circumdat auito.

Intereà princeps collem qui prominet vrbi
Prateriens, vbi se prato committit amœno,
Singula quæque modis incendunt æthera miris
Agmina. Namque priùs patrio canit ore Senatus,
Præfigens sudibus rictus sine carne ferarum:
Indicio, deuicta cadent tentamina posthac,
Si qua hostes animo cupient agitare ferino.
Dædaleis Graius sequitur laudare loquelis.
Stoïcus hic noster, cluibus quia pollet Athenis,
Et sollers iter in Samia bene callet arena.
Cetera turba pium natiua voce tyrannum
Prosequitur, totáque docet tellure magistrum.
Hîc etiam iuuenes nitida respergine creti,
(Alter Apostolici nam frater, Consulis alter
Natus erat) pedibus desigunt oscula Regis.
Hinc vbi Præsul erat, gressum comitantur herilem
Vestibuli ante fores, gradnum quà peruius vsus
Aduehit ornatam cupidos intrare per aulam.
Ille quidem sacro fulgens residebat amictu,
Altarisque subibat ouans hinc inde minister.
Quid referam populos istinc illincque coactos,
Vndantésque gradus, cùm Rex ad templa subiret,
Euectus Pastoris equo? Mox quippe sacerdos
Ipse futurus erat, titulo res digna perenni.
Aduenit vt tandem, lecto comitante ministro,
Atque pedes sensim gradibus conatur ab imis:
Vndique turba premit, cui vix obstare satelles
Voce valet nutúque minans. Erat omnibus ardor
Cernere præsentem, cupiunt quem sæcula Regem.
Ter quoque sacra pius gradibus vestigia fixit,

Maiestate manus cogens cessare tumultus
Vndantis populi. Postquàm conscenderat omnem
Adscensum, aureolo præsul surgens cliothedro
Oscula figit ouans, dextrámque receptat amicam.
Hinc adeunt aulam pariter tibi Petre dicatam,
Ianitor ætherei pandis qui limina templi.
Ante fores stant ambo domus, dum vota facessit
Rex: etenim se cuncta loco vouet vltro daturum,
Quæ priùs almifici sacris cessere tyranni.
Ilicet his verbis voluuntur cardine postes,
Extollitque sacer laudes per templa minister.
Vtpotè Siluestrum videat properare magistrum,
Constantinum etiam typico Baptismate lautum.
Nec minùs his decus orbis inest rerúmque potestas,
Tempora ni peiora forent impulsáque cessim.
Iam tumulo Piscatoris sacra purpura Regis
Sternitur, & Christus lacrimis pulsatur obortis.
Templa petit ductor posthac, vbi fercula dono
Pastoris digesta nitent. Setina propinant,
Ac (decet vt Regem) variant tuceta ministri.
Mox croceis mundum lampas Phœbea quadrigis,
Luce Deus qua factus homo processit ab antro
Tumbali, perflat. Populus concurrit ab Vrbe,
Cernere vestitum trabeâ Imperiique coronâ
Augustum. Replicata calent spectacula totis
Ædibus, auratis splendent altaria pannis:
Cùm princeps nitidus Tyrio procedit in ostro,
Tegmina vestitus crurum rutilante metallo:
Quale decus terræ soliti gestare magistri.
Aduenit & Domini pastor prepostus ouili,

Officio lætus, quamuis resonaret vtrimque
Clamor: Ades Præsul, totiens quid gaudia differs
Innumeris optata modis? Per vincla Magistri
Te petimus, depone moras, & suffice votis.
Talibus aræ adeunt gestis apsida sacratæ
Lumina terrarum. Modicùm posthæc diadema
Cæsar habet capiti gemmis auróque leuatum:
Vnguine nectarei simul est respersus oliui:
Cælicolis qui mos olim succreuit Hebræis,
Lege sacra solitis Reges atque vnguere vates:
Venturus quòd Christus erat dux atque sacerdos,
Omnia quem propter cælo reparentur & aruo.
Iam sacræ resonant ædes, fremitúque resultant
Clamantis populi. Valeat tuus aurea princeps
Roma diu, imperiúmque graui sub pondere pressum
Erigat, & supera sternat virtute rebelles.
Perstrepuere nimis. Sed facta silentia tandem.
Lectitat Augusti concessos munere pagos
Præsulis obsequio gradibus stans lector in altis,
Cæsare quò norint omnes data munera, prædo
Vlteriùs paueat sacras sibi sumere terras.
Dona tulit perpulcra pius tunc denique templo,
Baltea lata ducum, gestamina cara parentum,
Gemmis ac rutilo nimiùm pretiosa metallo:
Ac vestes etiam signis auróque rigentes,
Distinctum variis simul ac diadema figuris.
Quid referam, quantis replerit mœnia donis?
Nónne maris paucas videor contingere guttas,
Syrtibus atque manu sumptas includere arenas,
Quando breui tantos cludo sermone triumphos?

Doctiloquum, credo, labor iste grauaret Homerum,
Officio & genuit tali quem Mantua dignum.
Nec tentabo meis vltrà fastidia dictis
O iuuenes inferre, calet quis pectore sanguis,
Et plectro meliore mouet præcordia Clio.
Mille mihi satis est metris tetigisse labores.
Manius atque licèt videar, vos este Marones,
Et post Imperij diadema resumite laudes.





HADRIANI VALESII
BERENGARIVS
AVGVSTVS.



RIVSQVAM Panegyricum de laudibus Berengarij Aug. notis illuſtrare aggredior, operæpretium eſt quæ patria quódve genus Berengarij fuerit, quem patrem, quem auum habuerit, quæ priuatus, quæ Rex & Imperator geſſerit, pauculis capitibus exponere: quæ lucubratio & ad lucem Poëtæ noſtro dandam, & ad grauiſſimos errores doctorum hominum patefaciendos erit aptiſſima. Hoc opuſculum breue quidem, ſed laborioſum inſcribetur Berengarius Aug.



CAPVT PRIMVM.

Quòd Berengarius maior, Francus & Regiæ stirpis fuerit.

PANEGYRISTES noster, qui Imperatoris Berengarij æqualis fuit, in libro II. Panegyrici Berengarium Regio Francorum genere ortum fuisse indicat, quum Regnum Italiæ tamquam auitam hereditatem ei à Deo collatum esse dicit hoc versu.

Quique Berengario Latium concessit auitum.

In libro IV. eum superiorum *Imperatorum*, Caroli videlicet Magni & insequentium progeniem exstitisse docet isto disticho,

Romanâ steterat rutilus nec vestibus aulâ,
Induperatorum solito de more parentum.

Idem in libro III. eumdem Berengarium Regis Germaniæ Arnulfi propinquum facit his verbis:

---- *Arnulfi Germanica rura prementis,*
Brengario sedenim Regum per stemmata iuncti,
Tendit ad Imperium.

Erat autem Arnulfus Carolomanni Baioariorum, Pannoniorum ac Sclauinorum Regis ex nobili femina sed pellice filius, Ludouici Germanorum Regis nepos, Ludouici Pij Augusti pronepos: qui & Berengarium suam *progeniem,* hoc est hominem suæ stirpis, Regiive generis

appellat. Zuuentibaldum enim filium ſuum, quem ad auxilium Berengario ferendum in Italiam mittere decreuerat, ſic alloquitur,

——— *Tantúmne potis perferre dolorem,*
Noſtra vt progenies propria vexetur in aula?

Et in libro IV. ac vltimo Poëta Ludouicum Prouinciæ Regem, Boſonis Regis filium, Ludouici iunioris Aug. ex Hermengarde filia nepotem, Lotharij Aug. pronepotem, Imperatoris Ludouici Pij abnepotem, vocat Berengarij noſtri propinquum atque coniunctum:

Sollicitat Rhodani Gentem, cui moribus auctor
Temnendus Ludouicus erat, ſed ſtirpe legendus:
Brengario geneſi coniunctus quippe ſuperba.

Omittendum non eſt, quod ait Panegyriſta initio libri I. Berengarium à Carolo Magno Rege Francorum ac Langobardorum ac pòſt Imperatore Roman. genus deduxiſſe:

Francigenam fateor Karolum pranomine Magnū.
Prodit auis atauiſque illo de ſanguine rector
Auſoniæ.

Et quod ibidem aſſerit, ſolum Italiæ *à propinquis* Berengarij cùm Regibus tum Imperatoribus, nimirum à Pippino & Bernardo Regibus, à Lothario Aug. dum pater ipſius vixit, & à filio eius Ludouico iuniore primùm Rege Langobardorum, deinde Imperatore inſeſſum habitatúmque eſſe.

Sceptrigeri hoc potiùs dudum coluere propinqui.

Certè Berengarius ipſe in litteris ſuis quas

Chesnius tomo III. inseruit ex Chronico Monasterij Acutiani siue Farfensis, Carolum Magnum *proauum suum Carolum Serenissimum Imperatorem* nuncupat. Iohannes quoque eius nominis VIII. Episcopus vrbis Romæ Berengario sic scribit. *Dilecto filio Berengario, Glorioso Comiti, Regiâ prosapiâ orto.* Auctor Annalium Fuldensium in relatione rerum anno DCCCXXCIII. gestarum *Perengarium consanguineum Imperatoris*, in rebus anni DCCCXXCVI. *cognatum Regis qui Foroiuliense fruitur*, vocat. *Imperator* autem ille, quem & *Cæsaris* & *Regis* nomine promiscuè designat, erat Carolus cognomine Crassus, filius Ludouici Germaniæ Regis, Ludouici Pij Aug. nepos, Caroli Magni pronepos: quem quidam *iuniorem* & *distortis cruribus* cognominauere. Ibidem in rebus anni DCCCXCV. Berengarium *Perngarium nepotem Regis* Arnulfi qui postea Imperator est factus, appellari inuenio, non quòd fratris aut sororis eius filius, aut ex filio filiáve esset nepos Berengarius, (nullum enim Arnulfus fratrem, nullam sororem, & paruulos tum filios habebat) sed forsitan quòd auunculo ipsius genitus esset: quemadmodum apud Reginonem in rebus anni DCCCXCII. *Vualtharius Comes, nepos Ottonis Regis*, (id est Odonis) *filius scilicet auunculi eius Adalhelmi* dicitur. Quid, quòd & ipsemet Berengarius in litteris quas infrà totas transscripturi sumus, Ludouicum iuniorem Aug. Imperatoris Lotharij

filium, Ludouici Pij Aug. nepotem *Domnum Ludouicum olim Serenissimum Imperatorem*, *&* *Consobrinum suum* quater vocitat? Haud dubiè igitur, Berengarius Carolingorum domum gradu aliquo, aliqua cognatione contingebat, nec aliûs erat quàm Francæ nationis.

Filia fuit Berengario ex Bertila vxore Gisila, quæ vt scribit Liutprandus in hist. libri I. capite X. Adelberto Eporediæ Marchioni Anscharij Marchionis filio, homini Franco nupsit, Berengariùmque iuniorem genuit, qui cum Adelberto filio aliquamdiu in Italia regnauit, donec ab Ottone Aug. regno Langobardico deiectus, & vnà cum coniuge Willa in exsilium missus est.

Ex quo intelligitur grauissimè errare Historicos, qui pro duobus Berengariis tres nobis ingerunt, eósque natione Langobardos aut Italos faciunt. Domnizo qui circa annum Domini MCXV. floruit, in libri I. capite II. Berengarium posteriorem (quod & de priore dicendum esset) ac filium eius Adelbertum semel atque iterum *Langobardos* appellat. Otto Frisingensis Episcopus in Chronici ad annum M. CXLVI. deducti libri VI. capite XIII. quem Gotfridus Viterbiensis Presbyter ferè ad verbum transscripsit, post mortem Caroli cognomine Crassi *Imperium à Francis ad Langobardos translatum* ait: & in capite XXII. *Regnum Romanorum post Francos & Langobardos ad Teutonicos transla-*

tum esse anno D. DCCCCLXIV. scribit, quo nimirum anno Otto Saxo, Romæ iam à Iohanne PP. & à Senatu Populóque Rom. salutatus Imperator, Berengarium Regem Italiæ cum Vuilla vxore cepit, atque in Germaniam secum duxit. Videlicet Otto Frisingensis atque Gotfridus, sed Gotfridus maximè non Vuidonem modò ac Lambertum, sed etiam Berengarios natione Langobardos exstitisse, atque adeo tres Berengarios in Langobardia regnauisse crediderunt. Geruasius Tilleberiensis similiter qui circa annum MCCX. scripsit, in Otiis Imperialibus inter Imperatores Romanos vnà cum Ludouico Bosonis filio, Hugone & Lothario numerat Berengarios tres, quos constat plures duobus non fuisse. Sed & Platina Cremonensis, inter recentiores non silendus, qui anno MCCCCLXXXI. obiisse fertur, in Formosi PP. Vita prodit, *Berengarium Ducem Foroiulianum à Regibus Langobardorum originem duxisse, & auitum paternúmque Regnum* Italiæ *repetisse.* Idem in Christophoro PP. *Berengarium è Duce Foroiuliano Imperatorem creatum* dicit, *quòd in Italia oriundus esset è stirpe Longobardorum Regum:* ac in Stephano VII. *Berengarium tertium* pro secundo vocat *primi Berengarij ex filia nepotem:* & *Rodulfum Burgundionum Regem in Italiam hostili manu contra Berengarium secundum descendisse* tradit: quem Rodulfum Berengario priori Eberhardi filio, Langobardorum Regi ac Impe-

ratori Romanorum, Berengarij posterioris auo materno bellum intulisse, deiectóque successisse docet Liutprandus. Iohannis Baptistæ Egnatij Veneti in libro III. de Romanis Principibus hæc sunt verba. LX. *ferè agebatur annus ab Arnulfi morte, Berengariis interim Langobardici sanguinis Italiam vexantibus, & Vgone, Rodulfo & Lothario Gallis Principibus rem sibi interdum asserentibus. Ceterùm cùm Berengarius tertius cum Adalberto filio tyrannum veriùs quàm principem ageret, arcessitur à Romanis Otto.* Berengarios ergo Egnatius numero tres, eósque genere *Langobardos* facit; Hugonem, Rodulfum & Lotharium *Gallos*, quo nomine Francos designare voluit. Carolus Sigonius Mutinensis, historiæ Romanæ doctissimus diligentissimúsque scriptor, Berengarios quidem duos tantùm quot fuerunt agnoscit, sed eos, vt & Vuidonem ac Lambertum *Italos*, hoc est Langobardos facit, atque à *Francis* distinguit his libri VI. de Regno Italiæ verbis. *Francos inde Reges Italici excepere*, mortuo nimirum Carolo Crasso. Caussa erroris Sigonio fuit, quòd à Liutprando in capite VI. libri I. Historiæ Vuidonem & Berengarium *duos ex Italia præpotentes Principes*, & in Chronico Monasterij Acutiani *Guidonem præpotentem ex Italiæ Principibus*, ac *Berengarium* nostrum *Principem Italicum*, à Sigeberto quoque *Berengarium Italicum* vocari videbat: sicuti à Poëta nostro qui Berengarium Regio Franco-

rum genere ortum ait, idem nihilominùs libri 1. initio *Italus Princeps* vocatur, hoc est Princeps Italiæ. Sed aliud est, *ex Italia Principem*, aut *ex Italiæ Principibus Principémve Italicum* esse; aliud, Italum vel Langobardum esse. Principibus Italiæ adnumerari, Principésque Italici aut etiam absolutè Italici nuncupari iure merito potuere Berengarius & Vuido: hic patre Duce Spoletinorum natus, Dux & ipse Spoletinus; ille Ducis Foroiuliensium filius, Ducatúsque paterni successor. Sed non ideo magis pro Italis aut Langobardis habendi sunt, quàm Francorum Imperatores, aut Germani, Nortmanníque Principes, qui in Italia latè regnauerunt; aut quàm Optimates Francorum, Germanorum, Nortmannorúmque, qui apud Italos amplissimas præfecturas videlicet Ducatus, Marcas & Comitâtus obtinuerunt. Ceteros omitto historicos cùm Italos tum externos, qui in Berengariorum genere & numero assignando similiter errauere. Leonem tamen Marsicanum præterire non possum, qui in historiæ Monasterij Cassinensis libri 1. capite vltimo non iam è duobus Berengariis tres, sed vnum tantummodò facit, & auum nepotémque confundit. Quippe scribit *post mortem Ludouici Lotharij filij* (Caroli Crassi dicere debuit) *inuasisse Italiæ Regnum Berengarium Foroiuliensem, verùm in ipso regni initio à Guidone duobus prœliis superatum aufugisse.* Guidoni Lambertum

tum filium succeſſiſſe, Lamberto Ludouicum Boſonis Regis Prouinciæ filium, *aduerſus quem Rodulfum Regis Burgundiæ filium in Italiam veniſſe:* Rodulfo expulſo, *Hugonem vnà cum Lothario filio Italiæ Regnum aliquot poſſediſſe annis,* tum Lotharium ſolum: qui phreneſi exſtinctus, *deinceps in Italia regnandi Francorum Regibus terminum dederit, Italiæ Regno à Francis ad Teutonicos* (ſcilicet ad Ottonem Saxonem) *tranſlato. Interea Berengarium prædictum cum filio Alberto denuò Regnum inuadere* geſtiiſſe. At Berengarius iſte Alberti ſeu Adelberti pater, Berengarij maioris de quo ſcribimus, è Giſila filia Adelberto Eporediæ Marchioni nupta nepos fuit. Optimè tamen ac veriſſimè Leo non Berengarium modò vel potiùs ambos Berengarios, ſed etiam Vuidonem ſeu Guidonem cum Lamberto filio, & Ludouicum, Rodulfum, Hugonem, ac Lotharium Hugonis filium, Francos natione facit, *Franciſque* (quales omnes fuere) *ſeu Francorum Regibus* adnumerat. Ex quibus Rodulfus quum in Italiam venit, non Regis tantùm Burgundiæ filius, ſed patre dudum mortuo Rex Burgundiæ erat: neque *aduerſus Ludouicum Boſonis filium venit,* (vt ait Leo) ſed aduerſus Berengarium maiorem, à quo multis antè annis Ludouicus Regno pulſus erat & excæcatus. Ad patrem Berengarij maioris venio.

E

CAPVT II.

De patre Berengarij superioris.

PATREM habuit Berengarius Eberhardum Ducem Foroiuliensium, qui & Euerardus dictus est. Certè auctores Annalium Bertinianorum, Fuldensium atque Mettensium, Regino quoque, Hermannus Contractus, & Marianus Scotus aliíque *Berengarium filium Eberhardi* appellant, eúmque cùm Ducatum Foroiuliensium teneret, à parte quadam populi Itali Regem statutum esse scribunt anno Domini DCCCLXXXVIII. Leoni Marsicano in libri I. Chronici Cassinensis capite LXIV. & vltimo Berengarius noster vocatur *Foroiuliensis, Berardi Marchionis filius*, vel potiùs Eberardi. Nimirum regionis Foroiuliensis præfectus, quæ iam inde à Langobardorum in Italiam aduentu Ducem sibi suum habere cœperat, vt Dux sæpissime, sic nonnumquam Marchio dicebatur: & Ducatus Foriiulij, iam ætate Caroli Magni interdum *Marchia* vel *Marca Foroiuliensis* nuncupabatur, sicut in Eginhardi Annalibus non semel reperio.

Apud Aubertum Miræum Brucsellensem in Codicis Donationum piarum capite XXI. Euerardus quidam Comes & Gisla vxor eius res suas omnes etiam mobiles inter liberos suos

diuidunt. Ambo autem in Francia Orientali, videlicet in Hasbanio, in Toxandria, in Condrusis, & in Austerbanto, in Langobardia quoque, præsertim in pago Taruisiano, & in Alamannia prædia amplissima possidebant, filiósque habebant Vnrochum, Berengarium, Adalardum & Rodulfum; filias Ingeltrudem, Iuditham, Heilwicham. Facta hæc diuisio *Imperante Domino Ludouico Aug.* anno regni eius XXIV. vti docet Testamentum Euerardi Comitis, quod Aubertus Miræus ex Monasterio Cisonio ab Euerardo condito eruisse se ait: obseruátque Euerardum hunc Comitem in matrimonio habuisse *Gislam Ludouici Pij filiam*, Caroli c. Calui Imper. sororem, atque à Frodoardo in libri IV. Historiæ Remensis capite I. *Euerardum Marchionem* vocari, qui Monasterium S. Callisti PP. & Mart. in prædio suo exstruxerit, quod prædium, nimirum Cisonium Rodulfus Abbas ipsius filiorum minimus vnà cum Monasterio & corpore S. Callisti Remensi Ecclesiæ moriens legauerit: obiisse autem Euerardum in Italia, cuius corpus Vnrochus maior filius Cisonium detulerit, & cuius natalis XVII. Kalendas Ianuarias quotannis ibi celebretur. Tum addit. *Ceterùm (quod hactenus à nemine notatum) secundus filius S. Euerardi Berengarius, cuius suprà in Testamento fit mentio, postea Rex Italiæ, ac demum Imperator fuit.* Testamentum ipsum idem scriptor semel atque iterum notat

anno Domini DCCCXXXVII. factum, qui fuit Ludouici Pij Aug. imperij quartus & vicesimus. Andreas Chesnius vir rerum nostrarum peritissimus, in Historiæ Regum Burgundiæ libri II. capite VII. Gislam quoque *vxorem Euerardi Ducis Foroiuliensis & Comitis Cisoniensis*, matrem ex eo præ ceteris *Berengarij Ducis Foroiuliensium*, inter Imp. Ludouici Pij liberos numerat. Grauiùs Andrea Chesnio errarunt Galterus ac Ludouicus Sanctamarthani in libri VII. capite VI: qui Miræum ex toto secuti, non modò *Gislam Ludouici Pij Aug. filiam fuisse*, & Euerardo *Duci Foroiuliensi ac Comiti Cisoniensi* nupsisse, sed etiam *Berengarium qui Foroiuliensium Dux ac postea Rex Italiæ* fuerit, præter ceteros genuisse scripserunt. Sed Alpaidem quidem Begonis Comitis vxorem, Letardi & Ebrardi matrem apud Frodoardum, ac in Chronico Hildineshemensi; & Hildigardem apud Nithardum in libro III. Ludouici Pij filias reperio: Gislam eiusdem Imperatoris filiam nusquam reperio: quæ ne in Testamento quidem isto Ludouico Aug. genita fuisse dicitur. Adde quòd Euerardum huncce pro Comite vel Marchione Ducem Foroiuliensem & Comitem Cisoniensem Andreas Chesnius & Sanctamarthani gemini cùm vocant, gratìs vocant, nec Testamenti tabulis, nec vllo vetere aut recentiore auctore nixi: tamquam tum Ducatus Comitatúsque hereditarij essent; aut tamquam Cisonium vicus

ignobilis Comitem tum suum haberet, quod nonnisi nobilioribus & clarioribus opidis conueniebat. De loco mortis & sepulturæ Euerardi Comitis Miræo credet qui voluerit: verùm Berengarium eius filium Ducatum Forouliensem ac postea Regnum Italiæ tenuisse, nec Miræo nec Sanctamarthanis fratribus credere quisquam historiæ & temporum peritus potest. Quippe anno Domini DCCCXXXVII. imperij Ludouici Pij XXIV. Testamentum fecisse Euerardus Comes dicitur à Miræo, quo in testamento Berengarij filij meminit Euerardus. At Berengarius Eberhardi filius, è Duce Forouliensium anno DCCCXCVIII. Rex Italiæ factus est, videlicet anno LI. post scriptum hoc testamentum, & anno Christi DCCCCXXIV. à suis occisus est, sicuti Frodoardus memoriæ tradit in Chronico. Quare dicendum esset, centum annos vixisse Berengarium, si vel XII. tantùm annum attigerat, quum pater testamentum fecit, & bona sua inter liberos diuisit. Quod falsum esse nemo non videt, præsertim cùm Berengarius *iuuenis* ad Regnum Italiæ peruenerit, vt ex Iohannis PP. VIII. ad ipsum epistolâ intelligitur. Meliùs ergo fecisset Miræus, & verisimiliora scripsisset, si nomine *Domini Ludouici Aug.* non Ludouicum Pium Aug. sed eius nepotem Ludouicum iuniorem Aug. in testamento Euerardi C. designari dixisset, & anno *regni Domini Ludouici Aug.* XXIV. non

annum Christi DCCCXXXVII. sed DCCCLXVII. vel DCCCLXXIII. attribuendum putâsset. Ludouicus enim iunior, Lotharij Aug. filius, Ludouici Pij Aug. nepos anno DCCCXLIV. à Sergio Episcopo Romano Rex Langobardorum vnctus consecratúsque, à Leone anno DCCCL. viuo patre vnctus est Imperator: decessit anno Domini DCCCLXXV. regni Langobardici seu Italici XXXII. Imperij XXVI. quemadmodum Annales Bertiniani docent. Certè *vir Illustrissimus Ebrardus ex Principibus Imper. Lotharij*, cui Hincmarus R. E. scribit apud Frodoardum in libri III. capite XXVI. Berengarij nostri pater mihi videtur fuisse. Quin & si Alberico creditur, Eberhardus ex Comite Dux Foriiulij à Lothario Aug. constitutus, corpus Callisti PP. ab Episcopo Brixiæ impetrauit, & in prædio suo Cisonio collocauit anno imperij Lotharij vltimo. Quod si verum est, Euerardus seu Eberhardus Comes, de cuius testamento suprà locuti sumus, vsque ad Ludouici iunioris Aug. Ludouici Pij nepotis tempora peruenit.

Iohannes qui eo nomine octauus Ecclesiam Romanam rexit, Berengarij nostri patrem *piæ memoriæ, nobilissimum quondam* vocat, bonúmque & Sedi Apostolicæ deuotum fuisse, ac summum Episcopis Romanis honorem habuisse testatur his epistolæ cuiusdam suæ ad Berengarium verbis. *Lectis nobilitatis vestræ litteris, quia sinceritatem ac deuotionem more scilicet pa-*

rentum vestrorum circa nos pro amore Iesu Christi Domini & B. Petri A. P. reuerentia vos habere ingentem reperimus, multâ vestræ melliflua locutionis dulcedine sumus omnino repleti. Huius namque bonitatis decus eximium ex moribus piæ memoriæ nobilissimi quondam genitoris vestri vos trahere indubitanter cognoscimus: qui dignum semper honorem & piam reuerentiam antecessoribus nostris, sacris videlicet Pontificibus exhibere totâ mentis alacritate studebat. Et ideò pulcræ iuuentutis vestræ florem de radice iusta prodeuntem Dominus exercituum pietatis suæ gratiâ custodiet incolumem. Scripta est autem hæc epistola regnante iam Carolomanno Ludouici Regis Germaniæ filio, qui nonnisi anno Christi DCCCLXXVI. patre mortuo v. Kalend. Septembris Regnum iniit. Itaque si tum erat in *flore iuuentutis* Berengarius, haud dubiè iuuenis adhuc anno DCCCLXXXVIII. Regnum Langobardorum occupauit. Poëta noster nomen patris Berengarij dignitatémque non notat; sed quum ab eo prælatam ceteris prouinciis Italiam cariorémque habitam ait,

Et genitor cunctis dilexit carius arvis,

satis apertè videtur indicare; eum Ducatum quidem Foroiuliensem aut quem alium in Italia tenuisse: itavt ob id ibi manere cogeretur: habuisse tamen aliis in Franciæ prouinciis amplissimas possessiones & latifundia, in quibus viuere potuisset.

CAPVT III.

De auo Berengarij maioris.

QVEM Eberhardus patrem, seu quem Berengarius prior auum habuerit, incertum est. Si in rebus obscuris nec à quoquam veterum traditis coniecturæ indulgere licet, suspicor Berengarium appellatum esse. Mos enim tum Proceribus erat, filio primogenito plerumque aui paterni, aut etiam materni si claritate præcellebat, nomen imponere. Verùm cùm duo tresve Berengarij propinqui Ludouici Pij filiorúmque eius occurrant, difficile dictu est quem præferri oporteat.

Ac primùm Berengarius quidam dignitate Dux, propinquus Imper. Ludouici Pij extitit, Huronici vel Hunroci Comitis filius, vir sapiens & fidelis, cuius operâ in legationibus Princeps vtebatur, & qui Ducatum Septimaniæ expulso Bernardo obtenturus fuit, si non esset immaturè præreptus. Berengarij huiusce mentionem facit Theganus in libello de Gestis Ludouici Pij Imp. *Anno* DCCCXXXIV. *Tunc Imperator misit legatos suos post eum* (Lotharium filium suum) *Baradaduin Episcopum Sessonicum, & Gebehardum nobilissimum Ducem, & Berengarium sapientem propinquum suum. Supradicti Duces* (scilicet Gebehardus & Berengarius)

protulerunt quod eis imperatum fuerat, & instruxerunt eum vt veniret ad præsentiam patris cum ceteris seductoribus suis, promittentes pacem: & ille cum illis promisit venire. Et paucis versibus interiectis, hæc sequuntur. *Eodem anno in ipso itinere obiit Berengarius, Dux fidelis & sapiens, quem Imperator cum filiis suis luxit multo tempore. Iste est annus* XXIII. *regni Domini Lodeuuici Piissimi Imperatoris.* Eiusdem meminit auctor incertus sed grauis, qui de vita Imper. Ludouuici Pij scripsit, Anno DCCCXXXVI. principatûs Ludouuici Aug. XXIII. *Causa Gothorum ibidem ventilata est: quorum alij partibus Bernardi fauebant; alij ducebantur fauore Beringarij, Hunroci quondam Comitis filij. Sed Beringario immatura morte præcepto, apud Bernardum potestas Septimaniæ quammaxima remansit.* Is est fortè Berengarius, quem anno DCCCXIX. Tolosanorum Comitem fuisse Eginhardi Annales & Vita Ludouici Pij docent.

Inuenio & alterum Berengarium Comitem, qui Hellettrudem Lotharij Aug. filiam in matrimonio habuit. Hæc post viri sui obitum de Rege Lothario fratre suo querebatur, quòd res & prædia à parentibus sibi relicta rapuisset, & Nortmannis in beneficium donauisset: vt scribit Hadrianus PP. II. in sua ad Carolum Gloriosum Regem cognomine Caluum epistola. Hadrianus autem circa initium anni DCCCLXVIII. sedere cœpit: quo anno Berengarius

iſte Comes, gener Lotharij Aug. iam haud dubiè deceſſerat. Quippe anno DCCCLXIX. VI. Idus Aug. conſtat obiiſſe Regem Lotharium, à quo Helletrudis ſoror vidua ſe ſpoliatam querebatur. Hunc eſſe exiſtimo *Berengarium Ducem*, memoratum in litteris Lotharij Aug. anno Domini DCCCXLIV. datis, quæ in libro inſtrumentorum Monaſterij Caſaurienſis leguntur, & ita incipiunt. *In nomine D. N. I. C. Lotharius diuina ordinante prouidentia Imperator Aug. anno Imperij eius* XXII. *ſeu temporibus Berengarij Ducis, anno Ducatus eius* VI. *die* VI. *menſis Septembris Indictione* VII. *&c.* Ducis enim & Comitis apud plurimos Scriptores appellatio promiſcua eſt.

Fuit & tertius quidam Berengarius propinquus Caroli Calui Francorum Regis, cui vt & Hugoni collatum honorem, hoc eſt Comitiuam aut Ducatum ademit anno DCCCLXV. quòd nihil rei aduerſus Nortmannos geſſiſſet: ſicuti in Annalibus Bertinianis reperitur. *Anno* DCCCLXV. *Carolus ad Roſiacum villam veniens, Adalardo cui cuſtodiam Regni contra Nortmannos commiſerat, ſed & ſuis propinquis Hugoni & Berengario, qui nihil vtilitatis contra Nortmannos egerant, collatos honores tollit, & per diuerſos eoſdem honores diſponit.* Is pactioni inter Ludouicum, Carolum & Lotharium Reges apud Confluentes initæ anno DCCCLX. inter nobiles laicos interfuit atque ſubſcripſit.

Ex his igitur Berengariis duo, nimirum primus & postremus Imperatorum nostrorum propinqui fuere, medius gener etiam Lotharij Aug. Sed primum, videlicet Berengarium Ducem Ludouici Pij propinquum, vt Eberhardi patrem & auum Berengarij nostri fuisse credam, inclinat animus: propterea quòd cùm Berengarius iste anno DCCCXXXVI decesserit, & cùm Berengarium nostrum constet iam anno DCCCLXXVI. plurimum in Italia potuisse; XXXIV. circiter annos Eberhardo Berengariorum alterius filio alterius patri possumus assignare. At Berengarius Comes, Lotharij Aug. gener, qui non multo ante annum DCCCLXVIII. mortem obiit; & Berengarius propinquus Caroli Calui, qui anno DCCCLXV. Ducatu vel certè Comitiua dignitate priuatus est, nullum dant Eberhardo locum, nullum ei temporis spatium saltem iustum relinquunt, cùm anno DCCCLXXVI. Berengarius noster iam in Italia auctoritate multum valeret, sicuti supradiximus. Existimo autem Berengarium Ducem, qui propinquus Ludouici Pij fuisse fertur, & ita appellatur, non aliter quàm materno eum sanguine contigisse, & forsitan ex aliqua eius sorore furto conceptum fuisse: itavt Berengarius noster Berengarij Ducis nepos Carolum Magnum *proauum* suum aut potiùs abauum, Ludouicum iuniorem Aug. *consobrinum* suum iure vocauerit, & à Iohanne VIII. PP. *Regiâ*, idem *prosapiâ*

iste Comes, gener Lotharij Aug. iam haud dubiè decesserat. Quippe anno DCCCLXIX. VI. Idus Aug. constat obiisse Regem Lotharium, à quo Hellettrudis soror vidua se spoliatam querebatur. Hunc esse existimo *Berengarium Ducem*, memoratum in litteris Lotharij Aug. anno Domini DCCCXLIV. datis, quæ in libro instrumentorum Monasterij Casaurienssis leguntur, & ita incipiunt. *In nomine D. N. I. C. Lotharius diuina ordinante prouidentiâ Imperator Aug. anno Imperij eius* XXII. *seu temporibus Berengarij Ducis, anno Ducatus eius* VI. *die* VI. *mensis Septembris Indictione* VII. *&c.* Ducis enim & Comitis apud plurimos Scriptores appellatio promiscua est.

Fuit & tertius quidam Berengarius propinquus Caroli Calui Francorum Regis, cui vt & Hugoni collatum honorem, hoc est Comitiuam aut Ducatum ademit anno DCCCLXV. quòd nihil rei aduersus Nortmannos gessisset: sicuti in Annalibus Bertinianis reperitur. *Anno* DCCCLXV. *Carolus ad Rosiacum villam veniens, Adalardo cui custodiam Regni contra Nortmannos commiserat, sed & suis propinquis Hugoni & Berengario, qui nihil vtilitatis contra Nortmannos egerant, collatos honores tollit, & per diuersos eosdem honores disponit.* Is pactioni inter Ludouicum, Carolum & Lotharium Reges apud Confluentes initæ anno DCCCLX. inter nobiles laicos interfuit atque subscripsit.

Ex his igitur Berengariis duo, nimirum primus & postremus Imperatorum nostrorum propinqui fuere, medius gener etiam Lotharij Aug. Sed primum, videlicet Berengarium Ducem Ludouici Pij propinquum, vt Eberhardi patrem & auum Berengarij nostri fuisse credam, inclinat animus: propterea quòd cùm Berengarius iste anno DCCCXXXVI decesserit, & cùm Berengarium nostrum constet iam anno DCCCLXXVI. plurimum in Italia potuisse; XXXIV. circiter annos Eberhardo Berengariorum alterius filio alterius patri possumus assignare. At Berengarius Comes, Lotharij Aug. gener, qui non multo ante annum DCCCLXVIII. mortem obiit; & Berengarius propinquus Caroli Calui, qui anno DCCCLXV. Ducatu vel certè Comitiua dignitate priuatus est, nullum dant Eberhardo locum, nullum ei temporis spatium saltem iustum relinquunt, cùm anno DCCCLXXVI. Berengarius noster iam in Italia auctoritate multum valeret, sicuti supradiximus. Existimo autem Berengarium Ducem, qui propinquus Ludouici Pij fuisse fertur, & ita appellatur, non aliter quàm materno eum sanguine contigisse, & forsitan ex aliqua eius sorore furto conceptum fuisse: ita vt Berengarius noster Berengarij Ducis nepos Carolum Magnum *proauum* suum aut potiùs abauum, Ludouicum iuniorem Aug. *consobrinum* suum iure vocauerit, & à Iohanne VIII. PP. *Regiâ* idem *prosapiâ*

ortus; in Annalibus Fuldensibus Caroli cognomine Crassi *consanguineus* & *cognatus* appellari potuerit. Sed de his quisque pro arbitrio sentiat: ad Berengarij nostri res gestas veniendum.

CAPVT IV.

Quæ Berengarius privatus gesserit: & de epistolis à Iohanne PP. VIII. ad eum scriptis.

ANNO DCCCLXXVI. Carolus cognomento Caluus Imperium Romanum Regnúmque Italiæ seu Langobardiæ, morte Ludouici iunioris fratris sui filij vacuum occupauit, & die natali Domini Romæ à Iohanne P.P. vnctus coronatúsque, & Romanorum Imperator appellatus est: cúmque Ticinum rediisset, Optimatium Italiæ quos ad se venientes plerosque receperat, ibi Conuentum egit, Bosonémque affinem, nimirum vxoris suæ Richildis fratrem Ducem terræ constituit, ac corona Ducali ornauit, atque ordinatis Regni Italici rebus reuersus est in Gallias. Imperator Ludouicus iunior, Lotharij Aug. filius, Ludouici Pij nepos, moriens filiam ex coniuge sua Angelberga vel Engilberga superstitem reliquerat nomine Hermengardem, & fidei Berengarij nostri Euerar-

di filij seruandam tuendámque commiserat. Hanc Boso post Imperatoris Caroli ex Italia reditum, negligenter custoditam conniuente Berengario per vim rapuit, & in matrimonium accepit, matre puellæ vt existimo non inuita: sicuti Annales Bertiniani docent his verbis. *Anno Domini* DCCCLXXVI. *Boso postquàm Imperator ab Italia in Franciam rediit, Berengarij Euerardi filij factione filiam Hludouuici Imperatoris Hirmengardem quæ apud eum morabatur, iniquo conludio in matrimonium sumpsit.* Primum igitur Berengarij operum fuit, matrimonium Bosonis: ex quo intelligitur eum iam tum inter Proceres Italiæ non mediocri fuisse potentiâ. Quamquam Regino in libro II. Chronicorum & Marianus Scotus ac Sigebertus tradunt, *Carolum Seniorem Imper. anno* DCCCLXXVII. *ab vrbe Roma in Langobardiam reuersum, Bosoni germano Richildis Reginæ Hirmingardem filiam Ludouici Imper. in matrimonium iunxisse, diémque nuptiarum tanto apparatu tantâque ludorum magnificentiâ celebratum esse, vt huius celebritatis gaudia modum excessisse ferantur.* Carolus qui Caluus cognominatus est, *Senioris* tum cognomine à fratris filio Carolo Crasso Rege distinguebatur.

ANNO DCCCLXXXIII. aduersus Vuitonem Comitem Tuscanorum accusatum maiestatis & profugum, qui cum valida manu Maurorum Saracenorúmque Italiam depopulantium fir-

mum fœdus pepigerat; id eſt (vt Hermanno Contracto placet) *aduerſus Vuidonem Ducem Spoletinorum* qui poſtea imperauit in Italia, miſſus eſt Berengarius ab Imper. Carolo cognomine Craſſo: ſed nihil magnæ rei geſſit, cæli corruptione & morbis per caſtra vulgatis exercitum reducere coactus, licèt cum eo dimicâſſe dicatur. Ob legatos in *vrbem Regiam*, hoc eſt Conſtantinopolim miſſos, & ob pecuniam ab Imperatore Græcorum contra ius acceptam, *à Carolo III.* Aug. *captum* eſſe Guidonem Ducem Spoletinorum inuenio in Erchemperti Hiſtoria, & niſi fugâ euaſiſſet, capite plectendum fuiſſe. Addit Erchempertus, Guidonem cognito *Carolum Aug.* (III. ſeu Craſſum) *ſeminecem iacere,* cupiditate regni impulſum, deceptúmque à contribulibus ſuis, Beneuentanam prouinciam quam ſubegerat & Spoletinorum Ducatum reliquiſſe, & Galliam regnandi gratiâ petiiſſe: túmque Beneuento quidem Græcos potitos, Spoletinos ab Agarenis ſeu Saracenis eſſe vaſtatos; *ipſum autem inuiſum inauditúmque manſiſſe,* hoc eſt à Francis ſpretum, & Regni Francici in Gallia ſpe deiectum fruſtratúmque eſſe.

Anno DCCCLXXXVI. inter Berengarium Foroiulienſem Ducem & Liutwardum Epiſcopum Vercellenſem, Caroli Aug. à ſecretis Conſiliarium vnicum orta diſcordia eſt. Berengarius per vim aut per inſidias Vercellas ingreſſus, multas res Epiſcopi pro voluntate corripuit,

ac vrbe excessit spoliis onustus, nemine prohibente : sed insequenti anno DCCCLXXXVII. ad Imperatorem venit, & magnis muneribus contumeliam ac iniuriam Episcopo factam luit, inimicóque satisfecit: quemadmodum in Annalibus Fuldensibus inuenitur.

Sunt ad Berengarium adhuc priuatum Iohannis Papæ eius nominis Octaui epistolæ IV. à Chesnio Tomo III. historiæ Francicæ Scriptorum insertæ: in quibus Berengarium non aliter quàm *Gloriosum Comitem* aut *Illustrem Comitem*, licèt Dux Foroiuliensium esset, Iohannes appellat.

Primâ epistolâ datâ Indictione XI. id est anno DCCCLXXVII quæ incipit, *Lectis nobilitatis vestræ litteris*, Iohannes Berengarium rogat, vt de iniuriis à Lamberto Vuidonis Spoletini quondam Ducis filio, Duce & ipso Spoletino Sedi Apostolicæ illatis Carolomannum Gloriosum Regem certiorem faciat: Regiis & ipsius etiam Berengarij litteris compescendum esse hominem, ac monendum ne Ecclesiam Romanam ampliùs persequatur.

In secunda epistolâ, quæ incipit, *Quanta & qualia Romana Ecclesia &c.* scribit, se duce Bosone Principe Franciam nauibus petiturum, ibique de statu Ecclesiarum & de quiete Reip. ac de sua omniúmque salute Synodum habiturum : cui vt intersint, Berengarium & omnes Optimates Regni Langobardici monet atque

hortatur; quam Synodum anno DCCCLXXVIII. Tricassis habitam esse omnes sciunt.

In III. epistola, quæ incipit, *Relatu nonnullorum audiuimus*, post coactam in Gallia Synodum & habitum cum R. Ludouico Imperatoris Caroli filio sermonem, ductu Bosonis Principis Romam se saluum rediisse scribit, Lamberto Comite quem ob rerum Ecclesiæ Romanæ & ipsius Vrbis direptionem excommunicauerat, nusquam apparere auso: monet, rogat, hortatúrque Berengarium, vt omnibus rebus postpositis ad ipsum veniat, de statu Ecclesiarum & de tranquillitate Reipubl. vnà secum acturus.

In IV. epistola, quæ incipit, *Quia dilectus ac Spiritalis filius noster Carolomannus Gloriosus Rex &c.* Iohannes Antonio Episcopo Brixiensi & Berengario Comiti scribit, se cui curam Regni Italici Rex Carolomannus delegauerit, Liutfredum Comitem ab Ecclesiæ communione remouisse, propterea quòd Gerlindam Monacham ex Placentino Monasterio fugâ elapsam receperit detinueritque, atque etiam Engilbergæ Augustæ prædia & chortes diripuerit. Proinde caueant ambo, ne quid habeant cum eo commune, sed aditum eius sermonémque defugiant. Anno autem DCCCLXXX. regni sui quarto nondum expleto, Carolomannus paralysi oppressus VII. Nonas April. obiit: ante quem annum IV. hasce epistolas scriptas esse apparet.

CAPVT

CAPVT V.

De Regis Berengarij exortu rebúsque gestis.

VT meliùs noster Poëta Panegyristes intelligatur, & vt cuncti historiæ Francicæ studiosi faciliùs animaduertant, in quibus à veteribus Chronicis Annalibúsque nostris recedit: Berengarij post occupatum Italiæ Regnum res gestas capitulatim suo quamque anno notare potiùs quàm referre constitui.

Sub finem anni DCCCLXXXVII. Franci Orientales, Saxones, Toringi, Baioarij, & Alamanni à Carolo Crasso Aug. corpore animóque ægro deficiunt, & eius in locum Arnulfum Carolomanni ipsius fratris ex concubina filium substituunt. Carolus anno DCCCLXXXVIII. pridie Idus Ianuarij ex Imperatore & totius Franciæ Monarcha priuatus, obiit in Alamannia. Tum Regna Francorum velut legitimo herede destituta, (nam & Carolus Ludouici Balbi filius à plerisque non legitimus habebatur) resoluuntur in partes. Berengarius filius Eberhardi Dux Foroiuliensis, in Italia; Rodulfus Chuonradi filius in superiore Burgundia; & Odo Dux filius Rotberti in Francia Occidentali & in Aquitania ac parte Burgundiæ Reges facti. Ex his Berengarius hortantibus Optimatibus Ticini coronari se iussit. Liutprandus in

libri I. capite VI. & Chronici Acutiani auctor hoc statim post Caroli Calui obitum contigisse falsò tradunt, & Widonem ac Berengarium fide vtrimque data pollicitos esse, si Caroli Calui superstites forent, alteri Galliam, alteri Italiam altero fauente cessuram: cùm Carolo Caluo anno DCCCLXXVII. mortuo, Carolomannum primò Ludouici Regis Germaniæ filium, deinde fratrem eius Carolum cognomine Crassum Regnum Italiæ vsque ad annum DCCCLXXXVII. obtinuisse constet: post cuius demum mortem Berengarius in Italia regnare occœpit. Præterea Lambertus Vuidonis huius pater vulgò nostris auctoribus creditus, Italis frater natu maior, anno DCCCLXXVII. iam defuncto Carolo Caluo Aug. & anno etiam DCCCLXXVIII. viuebat adhuc; Dux adhuc Spoletinorum erat, Ecclesiámque Romanam persequebatur, vt Iohannis P P. VIII. ad Berengarium epistolæ suprà capite IV. memoratæ docent: adeò Vuido Lamberti successor viuis Carolo Caluo & Lamberto de Regno Galliæ cogitare, & illud sibi cum Berengario pacisci non potuit. Poëta noster scribit Berengarium à Proceribus Italiæ Regem electum esse, metuentibus ne à Rheni aut Araris accolis, vel vt ibidem ait, *à Gallis* aut *à Germanis reuocaretur* eligeretúrque. Ex quo intelligitur in Gallia vnde genus duceret, & in Germania ei possessiones plurimas & maximas, & satis amicorum clientúmque vel ad Regnum ibi obtinendum fuisse.

Eodem anno Arnulfus Italiam cum validis copiis ingredi, & Regnum Italicum occupare decreuit. Quod Berengarius præcauens, præmissis Optimatibus Tridentum ad eum venit. Arnulfus Berengario Regnum Langobardorum totum reliquit, exceptis villis Regiis seu publicis quas Curtes vocant, & pauculis aliis: vt in Annalibus Fuldensibus Chronicóque Hermanni inuenitur. Vuido quoque Spoletinorum Dux, per Odonem frustratus spe Regni Gallici, sub finem anni coactis copiis reuertit in Italiam, Camertibúsque & Spoletinis sibi adiunctis, nonnullis etiam Berengarij partium pecuniâ corruptis, Rex Italiæ appellatur, bellúmque Berengario infert: sicuti auctor Annalium Fuldensium, Regino, Annales Mettenses, Marianus Scotus, & Carolus Sigonius in libro VI. de Regno Italiæ, aliíque tradunt: è quibus Marianus anno DCCCLXXXIX. Sigebertus anno DCCCXC. Berengarium & Vuidonem Reges constitutos falsò aiunt.

Paullo pòst Vuido cum Berengario bis pugnat, & altero prœlio ad flumen Trebiam circa Placentiam, altero iterum in agro Brixiano post maximam vtrimque cædem factam funditur fugatúrque Berengarius, & à victore Regno expellitur: si Liutprando Sigebertóque credimus: quod anno DCCCLXXXIX accidisse Marianus & Sigonius putant, Sigebertus anno DCCCXCII. Poëta noster veriùs à Berenga-

rio priore prœlio victum esse Vuidonem, & permissu eius corpora cæsorum à Vuidonianis sepulta; posteriore multum vtriusque exercitus sanguinis fusum, & nocte pugnam diremtam esse scribit. Idem tamen satis apertè ostendit, penes quem demum victoria fuerit, quum initio libri III. prodit, creuisse in dies post hoc vltimum prœlium Vuidonis exercitum, confluentibus ad eum ex Gallia militibus: qua cognita re, Rex Arnulfus filium suum cum copiis in Italiam miserit, & auxilium ferre Berengario iusserit. Nam post pugnam copiæ victoris crescere consueuerunt, victi imminui quotidie: & qui tum externis auxiliis eget, pro victo; qui non eget, pro victore habetur. Accedit Poëtæ nostro Erchempertus Monachus Cassinensis, auctor & ipse æqualis eorum temporum: qui in Historia Langobardorum Beneuenti degentium tradit, anno Domini DCCCLXXXVIII. rediisse Guidonem in Italiam, quam obtinere cupiuerit sed non potuerit: ibi eum apud Brixiam cum *Berengario & ipso Duce* pugnasse: *in quo conflictu vtriusque partis acies crudeliter cæsæ, spolia* tamen *cæsorum à Berengario collecta* sint: pactos esse ambos indutias tantummodò vsque ad Epiphaniam VIII. Idus Ianuarij. Ambobus tertius adiungitur Regino, qui *tantam stragem ex vtraque parte postmodùm factam* ait, *tantùmque humanum sanguinem effusum, vt Regnum diuisum desolationem pæne in-*

currerit. Ad extremum Vuido victor exsistens, (inquit) *Berengarium Regno expulit. Pulsus itaque Arnolfum Regem adiit, eiúsque patrocinia contra hostem expoposcit.* Reginonem auctor Annalium Mettensium, Marianúsque more suo transscribunt. *Ad extremum Vuido victor exstitisse* dicitur Reginoni, quoniam primò non vicerat, sed post magnam vtrimque cædem victus fuerat à Berengario, & suorum ab hoste interfectorum ac spoliatorum corpora ad sepulturam depopoſcerat. Ex his intelligitur, è duobus cruentissimis prœliis, altero circa Brixiam haud dubiè victum esse Vuidonem, altero Berengarium ab eo fusum: nec sicut Liutprandus, Sigebertus ac Sigonius aiunt, Berengarium vtraque pugna esse superatum.

Vuido occupato Langobardorum Regno, anno Domini DCCCXCI. à Stephano Papa VI. Romam arcessitur, ac IX. Kalendas Martias Imperator constituitur consecratúrque Indictione IX. quemadmodum Frodoardus, Chronica Monasterij Acutiani & Cœnobij Casauriensis seu Piscariensis, Sigoniúsque docent. Frodoardi in libri IV. historiæ Remensis capite II. verba sunt hæc. *Formosus Papa* litteris ad Fulconem Remensem Episcopum missis *Imperatorem Vuidonem coronatum eodem anno significat Indictione* X. scilicet ineunte. Mense autem Septembri anno DCCCXCI. Indictio X. incipiebat. Sed an à Stephano VI. eius nominis Episcopo Romano,

qui VIII. Kal. Iunij anno DCCCXCI mortem obiit, an à seipso qui pridie Kalendas Iunij ei successit, coronatum Vuidonem Aug. & an *Indictione* X. *coronatum*; an potiùs *coronatum* eum *significet* litteris datis *Indictione* X. ineunte, incertum est.

Berengarius duobus prœliis superatus, ad Arnulfum confugerat: potentissimúmque Regem rogauerat sibi vt succurreret, se vnà cum Regno Italico ditionis eius futurum pollicitus, si aduersarium fugauisset. Igitur Arnulfus anno DCCCXCI. (si Sigonio creditur) Zuuentibaldum suum ex concubina filium cum valida armatorum manu in Italiam misit: qui post frustra oppugnatum per XXI. dies Ticinum, acceptâ à Vuidone pecuniâ domum inglorius rediit, vt Liutprandus in capite VII. libri I. & Sigonius scribunt. Sigebertus ait à Vuidone corruptos donis primores exercitûs Zuendebaldi, irritos reuertisse: sed in annum DCCCXCVII. eam expeditionem falsò coniicit. Panegyristes noster nullam petiti auxilij, tamquam rei Berengario pudendæ mentionem facit: sed memoriæ tradit Arnulfum, vt amico & propinquo suo Berengario subueniret, sua sponte nec rogatum ducendas trans Alpes copias dedisse Zuuentibaldo vel Cendebaldo filio, qui post repressum Vuidonem, monitu Berengarij ad patrem reuerterit: credo, ne quis à Berengario in Italiam arcessitum putaret eum,

cui ipse auctor fuerit Italiâ excedendi.

Anno DCCCXCII. Vuido Aug. totius ferè Langobardiæ potens, Lambertum filium suum Imperij sibi consortem adiunxit. Certè in Chronico Casauriensi MS. hæc verba reperio. *Vuido, Imperatore Carolo iam defuncto, in Italicum Imperium Augustaliter successit anno ab Incarnatione Domini* DCCCXCI. *Sequenti anno Lambertus in Imperium coronatus, sicut Vuido Aug. pater eius imperat. Igitur ambobus imperantibus, &c.* Ibidem *Dominus Vuido & Lambertus filius eius Imperatores* vocantur in litteris datis *annis Imperij eorum* II. & I. *die* XX. *mensis Iulij, Indictione* X. Lambertus igitur cum patre imperauit, quemadmodum obseruo: & annus Vuidonis imperij secundus, idem imperij eius primus fuit: quem tamen omnes historici veteres ac recentiores, exceptis Frodoardo & Sigonio, nonnisi post patris sui mortem in Italia imperare occœpisse tradunt. Hinc in Chronico Casinensi dicitur Lambertus *post annos regni* VI. morte functus esse: quem Poëta noster III. post Vuidonem patrem suum anno decessisse ait, hoc est anno Domini DCCCXCVII. qui si nonnisi post patris obitum anno DCCCXCIV. exeunte cœpisset imperare, non VI. sed tres tantùm annos imperâsse dicendus esset. Præterea Frodoardus in libri IV. historiæ Remensis capite II. sic de Formosi Papæ ad Fulconem Remensem Episcopum posterioribus litteris refert. *Hic quoque Lanber-*

tum filium Vuidonis anno II. *imperij patris ipsius nouum Imperatorem factum fuisse designat.* Sigonius anno DCCCXCI. exeunte Lambertum *socium Regni* à patre *adscitum*, & anno DCCCXCVI. à Stephano PP. VI. Imperatorio insigni & nomine donatum, aut è *Rege Italiæ Imperatorem* factum vnctúmque ait: quem anno DCCCXCII. in Imperatoriæ potestatis consortionem receptum à Vuidone parente suo, atque si tum coronatus est, eo mortuo iterum anno DCCCXCIV. Romæ coronatum esse constat.

Arnulfus semel atque iterum à Formoso Episcopo vrbis Romæ inuitatus per litteras & nuntios, à Berengario quoque rogatus anno DCCCXCIV. cum valido exercitu fines Langobardorum intrat: ac primùm à Veronensibus comite Berengario recipitur: deinde circa Purificationem B. Mariæ Bergomum expugnat, & multis opidanorum iugulatis, Ambrosium quem Vuido munitæ vrbi Comitem præfecerat, ante portam cum balteo & armillis qualis captus erat, de arbore laqueo suspendi iubet. Quo exemplo & Proceres, & ceterarum vrbium incolæ, inprimis Mediolanenses Ticinensésque perterriti, Regi occurrêre venienti, pollicitíque sunt se imperata facturos. Ottone Saxonum Duce Mediolanum misso, ipse Ticinum adit: cúmque ad opidum Placentiam venisset, consilium itérque commutat, ac derepentè conuerso agmine, per Alpes Penninas Gal-

liam ingreditur, Acaunúmque petit, vt improuiso incursu dudum inuisum sibi Regem Rodulfum obtereret. Sed is præruptos eminentésque montes adscendens, munitissimis in locis tutus latuit, & Germanorum manus euasit. Cùm Rodulfo noceri nihil posset, regio inter Iuram & montem Iouis seu Peninum iacens, in qua regnabat, igne ferróque depopulata. Imperator Vuido excedentem Italiâ Arnulfum dum insequitur, ad flumen agri Placentini Tarum vomitu cruoris exstinguitur anno regni Italici VI. Imperij quarto, Christi DCCCXCIV. Lambertus eius filius cum matre Ageltrude Aug. Regnum obtinuit: qui Romam veniens, ab Antistite Sedis Apostolicæ diadema Imperatorium sibi imponendum curauit: vti in Annalibus Fuldensibus & Mettensibus, & apud Reginonem, Hermannum ac Marianum inuenio. Nisi quòd Marianus anno DCCCXCV. Vuidonem decessisse; & Sigebertus anno DCCCXCVIII. Arnulfum primùm Langobardiam intrâsse, Guidonem autem anno DCCCCI. mortem obiisse falsò scribunt.

Arnulfus Formosi Episcopi Romani litteris & nuntiis iterum inuitatus, ac multo magis spe rei bene gerendæ, anno DCCCXCV. mense Septembri Italiam intrauit, & Alamannis per Bononiam præmissis Florentiam Tuscorum, ipse cum Francis Lunam petere contendit, vbi & Natalem Domini celebrauit. Insequenti anno

equi peſtilentiâ conſumti in tranſitu Apennini, itavt ſarcinæ exercitûs ephippiatis more equorum bobus imponerentur. Tandem ad Vrbem peruentum. Ageltrudis Aug. Imperatoris Lamberti mater Romam præſidio militari tenebat. Sed eâ cum ſuis clàm profugiente, vrbs Leoniana expugnata, & Tranſtiberini ad deditionem compulſi. Arnulfus ab Formoſo Antiſtite in Baſilica S S. Apoſtolorum Petri & Pauli inunctus, coronâque capiti eius impoſitâ Imperator appellatus eſt. Inde caſtellum Piceni Firmum quò ſe Ageltrudis contulerat, dum obſidet Arnulfus, ab ea ſoporifero medicamento potionatus, obſidionem ſoluere cogitur. Comes aderat Arnulfo Aug. Berengarius: qui comperto Arnulfum excæcandi ſui conſilium iniiſſe, Veronam cariſſimam & fidiſſimam ſibi vrbem celeri fugâ repetiit. Quare ſpretus ab Italis ob fidem violatam Arnulfus, Ticini multos ſuorum per tumultum opidanorum amiſit, nec Eporediæ muris receptus, domum inglorius rediit. Ratoldus nothus eius filius quem Mediolani reliquerat, mox Lario lacu deuectus & ad ipſum reuerſus eſt. Tum Berengarius Regnum Italicum vſque ad flumen Adduam recepit; cetera Lantberto reliquit. Ita Regino, Annales Mettenſes, Marianúſque ac Sigonius tradidere. Poëta noſter in libro III. Panegyrici ſui ſcribit, poſt tres menſes quàm Zuuentibaldus ad patrem ſuum redie-

rat, Vuidonem iterum renouasse bellum aduersus Berengarium, & Arnulfum cum maximo exercitu Italiam intrauisse, Bergomo cum Ambrosio Comite aliisque opidis captis, vsque ad vrbem Romam peruenisse, eáque saltem ex parte potitum esse, & suasu Berengarij domum reuertisse: paullo pòst Vuidonem excessisse è vita, & Lambertum eius filium Ticini cum Berengario fœdus iunxisse, Regnúmque Italiæ (vt & Hermanno placet) ambos inter se diuisisse. Hæc quidem Panegyristes refert, ex duabus Arnulfi expeditionibus Italicis vnâ tantùm factâ, nec Imperatorem Romæ salutatum Arnulfum dicit, nec Vuidonem ac Lambertum Imperatores fuisse indicat, vt nec Ludouicum Bosonis filium; & Vuidonis mortem biennio seriùs quàm acciderit contigisse affirmat. Similiter Liutprandus ambas Arnulfi expeditiones Langobardicas in vnum coniungit confundítve: neque Imperatorem Romæ à Formoso atque à Senatu populóque Romano factum eum tradit, sed *Regem Arnulfum* semper appellat; & Vuidonem semel modò cum Berengario *Imperatorem*, Lambertum *Regem* tantummodò vocat; ac Vuidonis vitam biennio quàm fuerit diuturniorem facit, sub discessum ex Italia Arnulfi nimirum anno DCCCXCVI. mortuum eum narrans, cùm anno DCCCXCIV. obierit. Adiicit Berengarium post excessum Arnulfi Ticinum ac Regnum Italiæ obtinuisse, à Vui-

donianis verò Lantbertum venustum ephebum, Regem constitutum esse, qui recepto Ticino, Berengarium armis Veronam repetere compulerit.

Anno DCCCXCVII. Imperator Lambertus vel Lantbertus, Vuidonis Aug. filius, per insidias suorum fracto collo interiit, postquàm annos VI. partim cum patre partim solus Langobardiam Romámque obtinuerat. De quo dubitari non potest, cùm Poëta noster Lambertum III. post Vuidonem parentem suum anno mortuum dicat: quem Vuidonem anno DCCCXCIV. exspirâsse constat. Sic accipiendum est, quod in Chronico Monasterij Cassinensis inuenio, Lambertum Guidonis filium *post annos* VI. defunctum esse: & quod Liutprandus in capite X. libri I. historiæ prodidit, Maginfredum Mediolanensium Comitem *quinquennio rebellem Lamberto exstitisse*, ob ídque iussu eius capite truncatum esse. (quem tamen anno DCCCXCVI. decollatum Annales Fuldenses & Hermannus dicunt.) Nam cùm post patris obitum non plus triennio imperauerit Lambertus: si per V. annos rebellauit Maginfredus, haud dubiè non Lamberto modò sed Vuidoni etiam infidus fuit. Regino & Marianus *anno Domini* DCCCXCVI. *Lampertum filium Guidonis vitâ decessisse* scribunt. Nihil est ferè Sigeberti Chronico in temporum notatione confusius, in quo anno DCCCCII. Lambertus regnare cœpisse, insequenti

anno mortuus esse dicitur. Carolus Sigonius falsi cuiusdam diplomatis subscriptione deceptus, anno Domini DCCCXCVIII. Imperij sui VII. Lambertum obiisse tradit. Mortuo Lamberto, Berengarius solus & sine consorte toto Regno Langobardorum potitur.

Anno Domini DCCCCI. Hungari, iam Baioariæ, Sueuiæ, Franciæ Germanicæ atque Saxoniæ cladibus noti, ingrediuntur Italiam, & Aquileiam, Concordiam Altinúmque ac Patauium emensi, per Vicetinorum, Veronensium, Brixianorum, Bergomatium ac Mediolanensium agros ad vrbem Regiam Ticinum perueniunt. Quibus cùm Rex Berengarius exercitum triplo maiorem opposuisset, Barbari plurimis suorum in fluminis Adduæ festina tranatione demersis, fugâ campos repetunt Veronenses, insequentibus & à tergo imminentibus Italis, ac vtrique demum circa Brentam agri Patauini amnem maiorémve Medoacum, Brintesiam in tabula Peutingeriana, Brintam Fortunato dictum castra ponunt, alteri ab alteris flumine diuisi. Ibi Hungari quos equi defatigati vlteriùs fugere prohibebant, etsi iam prædâ omni redditâ pacem redimere frustra tentauerant, sarcinas vniuersas, captiuos, arma, equos, exceptis singulis quibus domum reueherentur, filios quoque obsides daturos se nec ampliùs Italiam vexaturos pollicentur, si ipsos saluos & incolumes excedere paterentur. Sed Itali

multitudine sua elati, Barbaris quasi iam victis insultabant, mortem cunctis minitabantur, & æquas condiciones pacis accipere recusabant. Itaque Hungari ex desperatione animum sumunt, & sese mutuò hortati, flumen transeunt, ac tripertitis copiis in hostes cibum capientes deimprouiso impetum faciunt: fundunt fugántque inopinantes, ac maximo eorum numero ictibus sagittarum interfecto, multis Comitibus & Episcopis, in primis Liudwardo Vercellensi Antistite trucidatis, securi totum Regnum Italiæ cædibus, incendiis ac rapinis crudeliter vastant, itavt solis locorum munimentis incolæ defenderentur. Hanc à R. Berengario & à Francis Transalpinis Langobardísque & Italis cladem acceptam anno DCCCCI. Regino & Annales Mettenses quos sequor tradunt; Hermannus anno DCCCC. anno DCCCXCIX. Marianus. Sigebertus DCCCCIX. anno victum prœlio ab Hungaris Berengarium falsò ait. At Carolus Sigonius in libro VI. de Regno Italiæ annis DCCCCII. & DCCCCIII. eam Hungarorum incursionem in Italiam ac victoriam contigisse putat: de qua Poëta noster siluit, quia Berengarij magis culpâ quàm virtute suâ Barbari vicerunt.

Interea nouus Berengario hostis æmulúsque Regni oritur Ludouicus. Hunc Boso ex posteriore coniuge Hermengarde, Imperatoris Ludouici iunioris filia procreauerat, &

nomine aui materni appellandum curauerat. Et Boso quidem ab vxore sua impulsus, quæ viuere se nolle dictitabat, si filia Imperatoris Italiæ, & desponsa quondam Imperatori Græcorum, virum suum Regem facere non posset, XXIII. Burgundiæ Episcopis partim comminatione coactis, partim monasteriorum & villarum donatione corruptis persuaserat, vt ipsum vnguerent coronaréntque anno DCCCLXXIX. Idibus Octobribus. Audaciorem faciebat Bosonem Ludouici Balbi mors, eodem anno IV. Idus Aprileis defuncti; & filiorum eius Ludouici ac Carolomanni pueritia iniuriæ obnoxia, quorum mater fuerat à Balbo dimissa & alteri coniugi superductæ cedere compulsa. Accedebat & Angelbergæ Aug. socrûs, & Iohannis Papæ VIII. à quo pro filio habebatur, fauor. Quo exemplo ac simili occasione inuitati post Caroli III. Imperatoris obitum anno DCCCLXXXVIII. Berengarius & Vuido in Italia, Odo in Gallia, Rodulfus in Burgundia Iurensi vel superiore, nullo sibi iure debita ac velut legitimo herede destituta occupauerunt Regna. Anno DCCCLXXXVII. Ludouicum puerum Regis Bosonis ac Hermengardis filium, Ludouici minoris Aug. nepotem ad se venientem Imperator Carolus eius nominis tertius, cognomine Crassus honorificè exceperat, sibíque filium adoptauerat: vt in Annalibus Fuldensibus inuenitur. Ex quo apparet, Bosonem Ludouici patrem iam

tum mortuum fuisse. Demum hortante per litteras Stephano Episcopo vrbis Romæ, auctore quoque & fautore regni Arnulfo Caroli Aug. successore, Valentiæ Segolaunorum anno DCCCXC. Indictione VIII. ab Archiepiscopis Burgundiæ Lugdunensi, Viennensi, Arelatensi, & Ebrodunensi Rex constituitur Ludouicus: quo anno Hermengardis Regina ipsius mater ad Arnulfum propinquum magnis cum muneribus venerat vt id impetraret. Eidem puero Arnulfus interuentu matris Ermingardis quasdam vrbes Rodulfi Regis Iurensis cum pagis adiacentibus dedit: sed eas Ludouicus armis occupare, ac Rodulfo eripere non potuit.

Tandem Ludouicus, inuitatus à Principibus Italiæ cùm Francis tum Langobardis & Italis, ac præsertim ab Adelberto potentissimo Marchione Tuscorum, violatâ fide quam paullo antè dederat, si à Berengario dimitteretur inuiolatus, se in Italiam ampliùs non venturum: è Prouincia in Langobardiam transiit post Lamberti Aug. mortem vix interiecto expletóque quadriennio: vti ait Panegyristes noster quem sequor, hoc est circa anni DCCCCI. exitum, aut sub initium anni insequentis: & Berengario ex Italia in Baioariam expulso, totum Regnum Langobardorum occupauit, Romámque ingressus, à Benedicto Papa eius nominis quarto diademate capiti imposito Imperator est appellatus.

pellatus. Aliquanto pòst Berta Adelbertum virum suum, Tusciæ vel Lucæ Marchionem ceteró{s}que Italiæ Proceres alienauit Ludouico. Quâ vsus occasione Berengarius, vrbis custodibus auro corruptis, & coactâ virorum fortium manu, noctu Veronam ingreditur, Ludouicum securum ac improuidum, dimisso exercitu suo cum pauculis ibi desidentem magis quàm commorantem capit, eúmque propter periurium oculis iubet orbari: cùm *annos* III. *regnasset* in Italia, vt Chronicon Monasterij Cassinensis docet. Destitutus est igitur ac excæcatus Ludouicus anno DCCCCIV. aut insequenti. Pulsum Regno à Ludouico Berengarium tum quartanâ laborantem, & ipsum postea simul ac Berengarius conualuit, nocte patefactis Veronæ portis, inuito Berengario (etsi Liutprandus id negat) in Ecclesia quò confugerat vinctum occæcatúmque esse tradit Poëta noster. Regino & Marianus Scotus anno DCCCXCVI. Ludouicum Bosonis filium Italiam intrâsse, anno DCCCXCVIII. post multa prœlia variâ fortunâ commissa, nouissimo certamine Berengarium fugâsse, Romæque à summo Pontifice coronatum & Imperatorem factum esse scribunt. Addit Regino, anno DCCCCIV. Berengarium ab Episcopo & à ciuibus Veronensibus ipsi fauentibus clàm reuocatum ex Baioaria vbi exsulabat, contractis raptim copiis Veronam peruenisse, & noctu intra muros rece-

ptum esse, ac Regnum Italiæ Ludouico oculis priuato tandem obtinuisse: quod anno DCCCCV. contigisse ait Marianus. In Chronico Casauriensi dicitur *tertius Ludouicus Regni & Imperij coronam accepisse* DCCCC. *Dominica Incarnationis anno currente*. Sigebertus cum Chronico Cassinensi & cum Sigonio tres ei Regni Italici annos attribuit, ac in Chronico memoriæ prodit, Ludouicum oblitum iurisiurandi anno DCCCCXIII. rediisse in Italiam, & expulso Berengario Regnum eius inuasisse, atque anno DCCCCXV. à Berengario Veronæ captum oculísque orbatum esse. Carolus Sigonius nescio quæ diplomata secutus, anno DCCCC. exeunte circa Octobrem Italiam eum ingressum; insequenti anno Imperatorem à Benedicto IV. Episcopo Vrbis factum; ac circiter Septembrem pulso Veronâ Berengario & in Baioariam fugiente, totâ Italiâ potitum; anno DCCCCII. excæcatum dicit. Notandus est error in Ludouico isto Constantini Porphyrogenneti, qui in libri de administrando Imperio capite XXVI. *Ludouicum non coronatum tenuisse Ticinum* ait, ac postea cùm Veronam venisset, ab opidanis tumultuantibus comprehensum, ac oculis priuatum esse. Qua enim ratione ἄστεπτος dici potuit Ludouicus Regis Bosonis filius, Ludouici iunioris Aug. nepos, aut sine Regio insigni in Langobardia regnauisse, quem Valentiæ anno DCCCXC. Indictione VIII. à quatuor Archiepiscopis & complu-

ribus Episcopis Principibúsque Burgundiæ Regem electum, vnctum, constitutúmque esse constat? Rex autem sine corona fieri vtique non solet. Quo modo ἄστεπτος dici potuit, quem & Ticini *Regiis insignibus exornatum*, seu Langobardorum Regem factum esse Sigonius, solus tamen affirmat? quem apud Liutprandum in libri II. capite XI. Berengarius ipse *Regem* appellat: quem denique *Romæ à Summo Pontifice coronatum*, Imperatorémque salutatum Regino non semel & Marianus scribunt, & quem Chronicon Casauriense DCCCC. *anno Regni & Imperij coronam accepisse* docet.

Destitutione Ludouici Aug. Berengarius totius Langobardiæ compos factus erat: noménque & insigne Imperatorium ei deberi videbatur, quod Wido & Lambertus & Ludouicus etiam ab ipso victus erant consecuti. Hanc dignitatem tanto Principi fortuna non negauit. Quippe Berengarius accitus à Iohanne Papa X. auxilium aduersus Saracenos Garelianum montem occupantes implorante, anno DCCCCXVI. Romam venit, ibíque die Paschæ in Basilica S. Petri diademate cingitur vnguitúrque, & salutatur Imperator: sicut Panegyristes noster docet in libro IV. & vltimo de vita Berengarij. Et annum quidem quo Imperatoria insignia Berengario collata sunt, Poëta non notat: sed in Chronico Casauriensi seu Piscariensi hæc verba inuenio: *Anno ab Incar-*

natione Domini DCCCCXVI. *quo anno Berengarius Aug. Imperij coronam suscepit, &c.* & ibidem litteras quasdam lego, datas anno Berengarij Imperatoris Aug. IV. mense Nouembri, Indictione VIII. (scilicet ineunte) alias datas II. *Kalend. Nouemb.* siue pridie Kalendas Nouembris *anno Dominicæ Incarnationis* DCCCCXVII. *Domini verò Berengarij Imperij* II. *Indictione* V. Auctor est Onufrius Panuinius, *Iohannem X. Papam creatum esse Idibus Februariis anno* DCCCCXVI. itavt si à Iohanne hoc coronatus Imperatórque factus est Berengarius, non ante annum DCCCCXVI. fieri Imperator coronaríque potuerit: quem Iohannem anno DCCCCXV. sedere cœpisse falsò ait Hermannus; Marianus Scotus anno DCCCCXVIII. DCCCCXVII. Sigebertus. Sigonius ab Iohanne X. eius nominis Episcopo vrbis Romæ, quem anno DCCCCXIV. IX. Kal. Februar. in Sedem Petri intrusum dicit, anno Domini DCCCCXV. Berengarium Imperatorem mense Septembri inunctum esse putat. Baronius à Leone Marsicano deceptus, Iohannem istum anno DCCCCXII. aut certè DCCCCXIII. Sedem Romanam inuasisse credit: cùm annus Domini DCCCCXV. tertius eius Pontificatûs annus fuisse, & tum Leo apud Græcos imperauisse dicatur à Marsicano: quem Leonem Basilij filium cognomine Philosophum anno DCCCCXI. III. Idus Iunias obîsse constat. Heic Panegyristes noster desinit, XXVIII. regni Berengarij an-

nos plenos versibus mille & quinquaginta octo complexus. Nos vsque ad mortem eius cetera paucis persequemur.

Adelbertus Eporediæ ciuitatis Marchio, qui Gisilam Berengarij filiam duxerat, & Odelricus Comes Palatij natione Sueuus, Gilebertus Comes, Lantbertus Mediolanensis Archiepiscopus, nonnullique alij Principes Italiæ à Berengario defecere, Rodulfumque Regem Iurensis Burgundiæ, Rodulfi Regis filium & successorem, Burchardi Sueuorum Ducis generum per nuntios arcessiuere. Quos Berengarius Aug. cùm per Hungaros magnâ rebellium inprimis Odelrici cæde vicisset, Gilebertus quem captum Imperator dimiserat incolumem, datæ fidei oblitus, oblitus accepti beneficij Rodulfum in Italiam adduxit. Is receptus à coniuratis primùm, videlicet ab Adelberto Marchione & Lantberto Archiepiscopo, deinde à ceteris omnibus Optimatibus, postquàm ibi iam triennio regnauerat, multis demum grauis est visus. Vnde factum est, vt dimidia pars Langobardorum Berengarium Veronâ suâ clausum Rodulfo præferret, ad eúmque transiret. Diuisis Regni viribus, parant ambo ciuile bellum. Rodulfus circa Florentiam ad XII. ab vrbe Placentia milliarium Berengarium Aug. cruento prœlio superauit, & Veronam in asylum suum fugere compulit. Anno DCCCCXXII. *Berengarium Langobardorum Imperatorem* ab

Optimatibus suis destitutum, & Rodulfum ab eisdem in Regnum admissum Frodoardus tradit in Chronico: atque anno insequenti Rodulfum cum Berengario conflixisse, eúmque acie vicisse: anno demum DCCCCXXIV. Berengarium Italiæ Regem ab suis interfectum esse. Iugulatus est Berengarius à Veronensibus suis, auctore facinoris Flamberto compatre, cuius filium ex sacro fonte exceperat, anno regni (si Frodoardum sequimur) XXXVII. imperij IX: si accedere Sigeberto malumus, regni Italici XXXVIII. Imperij Romani X. anno. Quippe Sigebertus anno DCCCCXXIV. Berengarium à Rodulfo Rege Burgundionum Italiam ingresso victum, anno DCCCCXXV. à suis interemtum ait. Carolus Sigonius Rodulfum Regem Langobardorum Ticini seu Papiæ appellatum atque coronatum anno DCCCCXXI. sequenti anno Berengarium victum prœlio apud Fidentiolam, anno Domini DCCCCXXIII. regni sui XXXVI. occisum esse dicit.

Hugo potentissimus Arelatensium vel Prouincialium Comes, Bertæ filius, natione Francus, Regni Italici occupandi caussâ venisse cum multis in Italiam dicitur, sed à Berengario territus esse ac fugatus. Hoc Liutprandus in capite III. libri III. indicat: qua tamen ratione quóve anno res gesta sit, non tradit. Quare operæpretium est Constantinum Porphyrogennetum non de Hugonis modò prio-


re expeditione Italica, sed etiam de Rodulfi in Italiam aduentu diligenter scribentem audire: qui auctor æqualis in capite XXVI. libri de administrando Imperio hæc memoriæ tradidit. Excæcato Ludouico Berengarius, Berengarij qui nunc floret auus Regnum obtinuit, Románque cùm venisset, ibi est coronatus. Postea multi Rodulfum ex Burgundia vti in Italiam veniret inuitarunt, polliciti Regnum se ei tradituros Berengariúmque interfecturos. Itaque profectus est in Italiam: & dimidia pars incolarum ad eum transiit, reliqui Berengarium deserere non sustinuerunt. Pugnatum est semel atque iterum. Priore prœlio superatus est Rodulfus; posteriore vicit, & Berengarianos coniecit in fugam. Desertus à suis Berengarius, detractis insignibus Imperatoriis (etsi id Constantinus non dicit) media inter cæsorum cadauera procubuit, vt simulatione mortis euaderet, ac ne à quoquam agnosceretur, corpus scuto texit. Quidam ex Rodulfi militibus Berengarij iacentis pedem, qui fortè intectus apparebat, hastâ pupugit: cúmque nihil moueri eum vidisset, mortuum ratus discessit. Nocte Berengarius ex media strage assurgit tacitus, solus palatium suum repetit, ac rursus rerum potitus, Rodulfum vincit acie. Tandem pace facta, ambo Regnum Italiæ inter se diuisere. Sua vtrique pars regionis cessit, itavt tamen Rodulfus sub Be-

rengarij ditione esset. Tot prœlia, & strages inuitare exteros ad occupandum Regnum Italicum videbantur. Igitur ex Burgundia in Italiam cum copiis venere tres Marchiones, Hugo Taliaferni, (hoc est vt puto sector ferri) Boso, & Hugo eius frater, qui postea regnauit in Italia. Quâ cognitâ re, Berengarius eis occurrit armatus, viísque omnibus infessis necopinantes vndique inclusit. Suis interdixit, ne quemquam ex hostibus interficerent, sed quemcumque cepissent, naribus auribúsque amputatis dimitterent. Quod cùm esset factum, tres supradicti Duces, quibus circumuentis & fame ac inopiâ pressis spes hostem euadendi nulla supererat, excalciati, manibus Euangelia præferentes, ad Berengarium veniunt, petitáque veniâ, iurant ipso viuo se in Italiam non reuersuros: quos Berengarius incolumes cum suis domum redire permisit. Ipse autem postea cùm Veronam sese contulisset, à Falamberto compatre suo interemtus est: quo cæso, totum regnum Italiæ Rodulfus occupauit. Hugonem autem illum, Arelatensium vel Prouincialium Comitem ceteris dictum, Leo in libri I. Chronici Cassinensis capite vltimo *Aquitaniæ Ducem* appellat, hoc est Aquensium vel Aquisextiensium. Aquæ enim Sextiæ caput sunt Prouinciæ. Aquitanos porrò incolas Aquarum Sextiarum vocatos, & ab his Aquitanis totam Prouinciam *Aquita-*

niam dictam esse Leoni Marsicano non mirabitur, qui apud Plinium in libri IV. capite XIX. legerit Aquarum Tarbellicarum incolas dici *Aquitanos, vnde nomen Prouinciæ* Aquitaniæ vel Aquitanicæ propriè dictæ.

Hæc est summa vitæ rerúmque gestarum Berengarij Augusti, viri multis magnísque virtutibus adornati, prudentis, pij, clementis, & constantiore ac fideliore suorum obsequio digni: cuius animus nec calamitatibus vmquam succubuit, nec secundis rebus nimis elatus est. Qui ex priuato cùm se Regem fecisset, nunc Regno pulsus, nunc restitutus, nunc toto Langobardorum Regno potitus, nunc parte eius dimidia aut etiam minima contentus, tandem hostibus suis aut mortuis, aut fugatis, Imperatoria insignia obtinuit: ac demum Veronensium quibus semper maximè confiderat, compatrísque sui insidiis circumuentus periit: felix, si obsequentioribus Italis vti potuisset.





HADRIANI VALESII IN PANEGYRICI BERENGARII AVG. LIBRVM I. ANIMADVERSIONES.



ΡΧΕΤΑΙ τὸ πανηγυρικὸν Βερεγγαρίου τοῦ ἀνικήτου Καίσαρος.] Poſt occupatum à Carolo Magno Imperium Occidentis, cùm noſtros inter & Græcos crebra eſſent epiſtolarum legationúmque commercia, cœpit Occidentalibus noſci & in vſu eſſe lingua Græca: quod qui Scriptores noſtros Eginhardum, Abbonem, Liutprandum, Dudonem alióſque legerit, facilè agnoſcet, Græca verba aut prouerbia Latinis inſerta reperiens.

τοῦ ἀνικήτου Καίσαρος] Tum Imperatores boni ominis cauſſâ *Inuictiſſimi Cæſares*, aut *Inuictiſſimi Auguſti* vulgò vocitabantur; nonnumquam *Piiſſimi Imperatores*, nonnumquam & *Sereniſſi-*

mi Augusti: quemadmodum nos Imperatoriæ subscriptiones docent, cùm alibi passim tum in Chronico Casauriensi inuentæ: *Signum Domni Ottonis Inuictissimi Cæsaris*; *Signum Domni Ottonis Serenissimi Imperatoris & Inuictissimi Augusti.* Sic Seuerus Alexander Aug. *Inuictus Augustus* in quodam nummo aureo vocatur: in alio nummo Victorinus Aug. *Inuictus*: in aureo numismate Imper. C. M. Aurel. Claudius Germ. Gothicus *Inuictus Aug.* inscribitur apud Iohannem Tristanum.

Karoli sedenim nutritus alumni
Rite sub imperio: simili qui nomine Romam
Postremus Francis regnando coëgit habenis]
Id est Berengarius fuerat nutritus sub imperio Caroli altoris sui, qui ex Francorum Regio genere eius nominis vltimus Imperator, Romam & Langobardiam obtinuit: cuius Caroli propinquum ibidem Poëta Berengarium vocat.

Vltima Brengario referunt dixisse propinquo.
Carolus Aug. eo nomine vltimus, qui Berengarium propinquum suum & amicum ad Regnum Italiæ occupandum moriens hortatus est, & quo mortuo plures per Franciam Reguli emersere, ac Berengarius Ticini Rex Italiæ est appellatus, hic inquam Carolus haud dubiè Ludouici Regis Germaniæ filius fuit, cognomento Crassus: quó anno DCCCLXXXVIII. pridie Idus Ianuarij mortuo, Berengarius in

Italia, Rodulfus in superiore Burgundia, Odo in Francia occidua & in Aquitania ac parte Burgundiæ Reges exorti: quod Liutprandus & Chronici Acutiani auctor statim post Caroli Calui obitum nimirum circa annum DCCCLXXVII. factum esse falsò crediderunt. Vt omittam Carolum Caluum non eo nomine vltimum Imperatorem Rom. aut fuisse, aut à Poëta nostro vocari potuisse, sed Carolum cognomine Crassum. Præterea Carolus Caluus non in Italia, verùm cis montem Cinisium in Burgundia parte Galliæ febre correptus ac veneno à medico suo sublatus est: cuius morti Berengarium interfuisse nec quisquam scripsit, nec verisimile est: Liutprandus etiam negat interfuisse. Denique Carolus Caluus Berengarium etiamsi adfuisset, moriens ad Regnum Langobardorum occupandum inuitare non potuit, quo ipse à Carolomanno fratris sui filio pulsus, fugam capessiuerat: cui Carolomanno in Regnum Italiæ Carolus Crassus frater successit. Carolus autem Crassus, Imperator III. eius nominis & dignitatis, in Alamannia obiit anno DCCCLXXXVIII. pridie Idus Ianuarias ex Imperatore priuatus, ac in Augia Monasterio sepultus est: vt Regino & Annales Mettenses tradunt: qui Berengarij Ducis operâ aduersus Widonem rebellem anno DCCCLXXXIII. vsus erat. Sed Berengarium Ducem Foroiuliensium Caroli Crassi iam priuati & ab

omnibus deserti morti in Alamannia interfuisse haudquaquam puto, cùm nec res similis veri sit, nec à quoquam memoriæ tradita. Hoc igitur finxisse mihi videtur Panegyristes noster, vt maiorem Berengario conciliaret auctoritatem, haud dubiè laudando magis & pro iusto legitimóque Principe habendo, si à Carolo Crasso Imperatore, propinquo suo moriente successor Regni Italiæ designatus crederetur: cùm Arnulfus eumdem Carolum patruum suum ceteris ferè omnibus Regnis viuum inhumanè spoliauisset.

Ille quidem sic astra subit: miseranda cupido
Sed populos persuasit agens, qui limite lato
Vnius imperio soliti concurrere: plures
Vt mirentur abhinc diuersa per arua tyrannos,
Et sibi quæque legat proprium gens,]

Idem Regino & Annales Mettenses tradunt his verbis. *Post cuius mortem* (Caroli Imperatoris III. vel Crassi) *Regna quæ eius ditioni paruerant, velut legitimo destituta herede in partes à sua compage resoluuntur: & iam non naturalem dominum præstolantur, sed vnumquodque de suis visceribus Regem sibi creare disponit: quæ caussa magnos bellorum motus excitauit.*

---- *Raperet ne gaudia Rhenus*
Aut Araris spectata diu, glomerantur in vnum
Ausonij Proceres, ac talia nuntia Regi
Ire iubent.]

Berengario Regi mox futuro, seu Regi electo ac mox coronando.

Nec te reuocet fera Gallia, digno
Quin potiare solo, trux aut Germania]
Esto. Credamus Poëtæ nostro, Berengarium precibus & legatione Optimatium Italiæ victum, Regnum Langobardorum capessiuisse. Etiámne *Gallia* & *Germania*, seu *Rheni* & *Araris* accolæ Berengarium euocare, ac sibi Regem habere voluere, ac dudum optauere? Idem ferè de Widone Liutprandus scripsit. Arar autem veteres, Araris, Arari; vt Liger, Ligeris, Ligeri; Elauer, Elaueris, Elaueri dixere: Araris, Ligeris, Elaueris nisi in secundo casu non dixere: quod obseruo, quia in eo multos viros doctos errare video.

Sustulit heic postquàm regale insigne coronam,
Non alias raptim cupidus peruadere terras,
(Quod multos iuuenum leto demersit acerbo]
Postquàm Berengarius Ticini regiam coronam accepit, reliquas Regni Italici vrbes atque regiones non vnà statim occupauit, vti fieri oportebat: quæ caussa ingentium bellorum ac magnarum cædium fuit, Vuidone haud multo pòst inuadente quidquid à Berengario non fuerat occupatum.

Præcipuùm Tyrrhena colunt qui rura, volentes
Subiicient mihi colla, reor.]
Ait Wido Tyrrhenos sibi seu Tuscos aduersus Berengarium auxilio futuros, videlicet Camertes & Spoletinos, quorum Dux fuerat. At Spoletini sunt in Vmbria, dicet aliquis. Verum id

quidem eſt: ſed Vmbria pars tum erat prouinciæ Tuſciæ vel Etruriæ. Paullus enim in libri II. de Geſtis Langobardorum capite XVI. *Sexta* (inquit) *prouincia* Italiæ *Tuſcia eſt. Hæc habet intra ſe Circium verſus Aureliam; ab Oriente verò Vmbriam. In hac prouincia Roma eſt conſtituta. In Vmbria verò quæ iſtius in parte ponitur, Peruſia, & lacus Clitorius, Spoletiúmque conſiſtunt.* Tuſcia ergo *intra ſe ab oriente Vmbriam habebat*, & Vmbria *in parte Tuſciæ ponebatur*, hoc eſt pars Tuſciæ prouinciæ erat atque habebatur. Quare & Vuido ipſe pro Duce Spoletinorum in Annalibus Fuldenſibus *Vuito Comes Tuſcanorum* id eſt Tuſcorum Etruſcorúmve appellatur.

Quid referam, quantus ſedeat Rodulfus in aula?
An qualis referam Francis dominetur in aruis
Oddo, mei ſimiles dudum notique ſodales?]

Poëta dicit Vuidonem *inuidiâ tumidum* ægrè tuliſſe, quòd Carolo Craſſo mortuo, Berengarius apud Langobardos regnum occupaſſet, Rodulfus in Burgundia Iurenſi, Odo vel Oddo in Neuſtria, Aquitania & Burgundia: & idem ſibi licere exiſtimaſſe, propterea quòd Rodulfus, & Odo *ſodales* ipſius fuiſſent, & in priuata fortuna *ſui ſimiles*, hoc eſt Comites vel Duces qualis ipſe erat, nec nobilitate generis nec viribus aut ſapientia, nec dignitate ac potentia ipſo ſuperiores. Hoc eſt quod ait Regino. *Poſt cuius* (Caroli Craſſi) *mortem regna quæ eius*

ditioni paruerant, veluti legitimo destituta herede in partes à sua compage resoluuntur, & iam non naturalem dominum præstolantur, sed vnumquodque de suis visceribus Regem sibi creare disponit. Quæ caussa magnos bellorum motus excitauit: non quia Principes Francorum deessent, qui nobilitate, fortitudine & sapientia Regnis imperare possent: sed quia inter ipsos æqualitas generositatis, dignitatis ac potentiæ discordiam augebat, nemine tantùm ceteros præcedente vt eius dominio reliqui se submittere dignarentur. Multos enim idoneos Principes ad regni gubernacula moderanda Francia genuisset, nisi fortuna eos æmulatione virtutis in perniciem mutuam armasset. Ita Trogus, cuius verba Regino furari consueuit, de VII. Optimatibus Persarum qui Magos & Oropastam falsum Regem occiderant, scribit. *Erant virtute & nobilitate ita pares, vt difficilem ex his populo electionem æqualitas faceret.* Idem de amicis ducibúsque Alexandri Magni in libro XIII. sic refert. *Qui numquam sibi reperissent pares, si non inter se concurrissent: multósque Macedonia pro vno Alexandros habuisset, nisi fortuna eos æmulatione virtutis in perniciem mutuam armâsset. Inter ipsos verò æqualitas discordiam augebat, nemine tantùm ceteros excedente, vt ei aliquis se summitteret.* Tum autem *veluti legitimo herede & naturali domino destituta.* Regna Francorum habebantur à plerisque, quoniam Arnulfus Carolomanni ex pellice filius

erat.

erat: Ludouicus autem Balbus coactus fuerat à patre Carolo repudiare Ansgardem coniugem ex qua Ludouicum & Carolomannum filios habebat, & Adelheidem ducere, quæ Carolum postumum peperit: itavt Carolus hic postumus qui Simplex vel Stultus cognominatus est, non magis quàm Arnulfus ex legitima coniuge genitus, ac legitimus Ludouici Balbi filius iustúsque heres & regni successor esse videretur. Omitto & Arnulfo Regi Transrhenano dictum esse, *hunc Carolum filium Ludouici non esse;* vt Fulco Remensis Episcopus in litteris ad Arnulfum apud Frodoardum scribit.

Prouoluens iuuenum fusos in sanguine patres.] *Iuuenum* id est natorum. Sic Iuuenalis in Satyra VIII.

Prodita laxabant portarum claustra tyrannis
Exsulibus iuuenes ipsius Consulis.

Hoc est filij Bruti Consulis.
Et in satyra X.

I nunc, & iuuenis specie lætare tui.

In sat. XIV.

Quid suadet iuueni lætus stridore catenæ?

Ibidem

Et pater ergo animi felices credit auaros,
---- iuuenes hortatur, vt illam
Ire viam pergant.

Item

Clamosus iuuenem pater excitat: Accipe ceras,

Scribe puer.

Item

Cùm dicis iuueni, stultum qui donet amico.

Iam torquet iuuenem longa & ceruina senectus.

Idem & apud alios veteres auctores obseruaui.

Conatus agitare satis Vuidonen iniquos].

Satis iniquos, valdè aut admodum iniquos: Sic ibidem

Cœtus sat in arma superbus.

Item

Sat rationis inops.

Quod historicos nostros & eorum temporum scriptores legentibus notissimum est.

Cùm pater egregius tecto sese intulit alto.]

Berengarius.

Annua vix toto rutilârunt sidera mundo
Pace sub hac.]

Vix, ac ne vix quidem. Non enim per totum annum quietus regnauit Berengarius, cùm eodem quo coronatus Ticini erat anno, Vuido ei bellum inferre cœperit, vt nostri auctores docent, Regino, Annales Mettenses, aliique: apud quos inuenio, anno DCCCLXXXVIII. à quadam parte Italorum Berengarium Regem constitutum esse; alios Vuidonem æquè Regia dignitate augendum decreuisse. Ambo itaque vno eodémque anno Reges facti, Berengarius ineunte anno, Vuido exeunte: quod & Carolo Sigonio placuisse video.

Stimulis olim quia motus iniquis

Finibus absentes Gallos quæsiuit Etruscis.] Hoc est, quia olim Berengarius principatu Caroli Crassi mihi motus inuidiâ intulit bellum, & Gallos quos arcessiuisse in Etruriam ad occupandum Regnum falsò dicebat, in Tuscorum Spoletinorúmque finibus frustra quæsiuit armatus anno DCCCLXXXIII. De quo bello Annales Fuldenses & Hermannus cùm Poëta nostro sunt consulendi.

Princeps aberat, pacémque parabat
Imperio, Verona Atesis quà culta salubris
Irrigat.]
Quum Vuido Gallis & Tuscis Spoletinísve suis comitatus, pacem Italiæ turbare occœpit, aberat Ticino Rex Berengarius, & Veronæ in extrema Italia vel in agro Veronensi commorabatur, Regem Arnulfum cum valido exercitu Italiam ingredi parantem placaturus, & cum eo pacem facturus: quam Tridenti ad Atesim factam esse Annales Fuldenses malunt. Abest autem Verona ab opido Tridento millia LX. De ea pace vide & Hermannum Contractum.

Ensis in ore etiam præclara refulget iaspis.] In fronte vaginæ, vt Iuuenalis loquitur, aut certè in capulo gladij.

Manus capulo sit parta animúsque labori.] Dextræ ad enses stringendos sint paratæ, & animi ad laborem ferendum. *Parta* pro parata per syncopen.

Et pactis differre nefas, quod fluctuat armis

Mersurum populos.

Pacto singulari mecum certamine differre aut etiam auertere bellum ciuile, quod imminet, Italis aut saltem alterutri parti exitio futurum. Legitur aliàs, *& partis differre nefas.*

Partitaque vices tolluntur in æquora gentes.] Feruntur in campos & in æquam planitiem milites, quos hodiéque vulgò Gentes armorum vel Gentes armatas vocamus.

Inuicti valeat verùm quis ferre tyranni
Pondera virtutis?]

Berengarij τοῦ ἀνικήτου Καίσαρος: quem *Ausoniæ Ductorem & fulmineum Ducem* ibidem Poëta appellat.

Non tamẽ absque viâ mentisq; vigore profundæ.] Sine ratione, & sine vigore altæ mentis.

Doctiloquos agit ille viros ad limen ouantis
Hesterna nece victoris.]

Vuido ad Berengarium hesternâ victoriâ lætum eloquentes & disertos Oratores mittit petitum, sibi vt liceret corpora suorum efferre ad sepulturam: qua legatione victum se ipse profitebatur. Quod à Poëta fictum non est, cùm Erchempertus scribat, Berengarium in priore hoc prœlio campo potitum esse post magnam vtrimque cædem, & spolia legisse.

Frenare dedit suprema potestas
Cui, ductor, fera bella.]

O ductor, cui suprema potestas dedit fera bella superare: seu Rex, quem Deus referre ex hoste suo victoriam voluit.

HADRIANI VALESII
IN LIBRVM II.
NOTÆ.

GAVSLINVS *tercentum equites fera bella volentes Praecelerare iubet.*] Gauslinus ille, & Vbertus, id est Hucbertus vel Hubertus, & Albricus, & Raginerius, & Vuilelmus, & Vbaldus, seu Hucbaldus Hunbaldúsve, Vuidonis socij & adiutores, qui fuerint, aut quarum vrbium regionúmve Duces & Comites, nescio: nisi quòd Albricus vel Albericus Camerinus fuisse dicitur à Poëta: qui & è Gallia accitos, & è Tyrrhenis seu Spoletinis ac Camertibus Camerinísve socios Vuidonis & auxiliarios plerosque exstitisse indicat. Hic est forsitan Albericus Comes qui electioni Caroli Imperatoris cum Italici Regni Episcopis & Optimatibus anno DCCCLXXVI. subscripsit. Vbaldus autem videtur fuisse Hubaldus Bonifacij Camerinorum & Spoletinorum Marchionis pater, quem Liutprandus in libri I. capite VII. scribit, pro Vuidone cum Berengario & Zuuentibaldo pugnasse, & circa Ticinum in medio fluuiolo Baioarium prouocan-

tem lanceâ traiecisse. Vbertus infrà Gallum se dicit, si tamen idem est.

Iubet tandem Lambertícus horror
Præcipuum truncare.]

Vnum & præcipuum è III. Ducibus qui Vuidonem in priore pugna iuuerant vnâque victi erant, & tum eumdem sequebantur, capite truncari iussit Lambertus Vuidonis filius. Hic est Maginfredus Mediolanensium Comes, qui & Mediolanenses ad defectionem secum traxerat, & loca Comitatui suo proxima igne ferróque vastabat: quem ob id Lambertus sententia capitali damnauit, vt Liutprandus scribit: filium eius, & generum oculis orbatos esse, in Annalibus Fuldensibus reperitur. *Lambertícus horror*, id est Lambertus odio impulsus propter defectionem perfidiámque hominis.

Alta poli scandit, supremáque ponti
Tristis, vt almificis sese sustollere sceptris
Fortè queat.]

In promuntorio quodam ad litus maris suspendio hunc quisquis fuit, periisse videtur Poëta indicare αἰωνικῶς: nisi si legendum est *alta soli.* Hæc quia ignota, ideò & obscura.

Armipotens Latij decus, & spes inclyta belli]

Berengarius Rex Italiæ.

Nec mora Vualfredus termille resumit amicos.]

Vualfredus qui Berengarium anno DCCCLXXXIX. aduersus Vuidonem tribus millibus armatorum iuuit, hic est omnino, qui in palatio Ti-

cinensi anno Domini DCCCLXXVI. regni domini Imperat. Caroli in Francia XXXVII. Imperij I. Indictione IX. electionem Caroli Aug. cum Episcopis, Abbatibus, Comitibus, & ceteris regni Italici Optimatibus confirmauit; tertiúsque inter laïcos ei subscripsit. Nam post signum Bosonis Ducis & Richardi Comitis, *signum Vualfridi Comitis* ibi inuenitur. Eumdem Marchionem Foroiuliensium fuisse, & Veronam in potestate Arnulfi Aug. fideliter retinuisse, quo anno DCCCXCVI. mortuo Berengarius ilico Regnum Italiæ velut hereditario ad se iure pertinens occupârit, referunt Annales Fuldenses his verbis. *Post mortem etenim Vualtfredi Foroiulij Marchensis, qui multum fideliter ad Imperatorem Veronam contendendo retinuit, ilico Berengarius Regnum Italicum inuasit.* Vualfredus iste Vuidonem, Regis Vuidonis partium adiutorem, qui *ab aruis Sequanicis illectus* fuerat, seu à ripa Sequanæ euocatus; hasta occidit eo in prœlio: vt Poëta refert.

Pariter tria fulmina belli
Supponidæ coëunt: Regi sociabat amato
Quos tunc fida satis coniunx.]

Videtur Bertila coniux Berengarij Regis Italiæ, patrem habuisse Supponem, natione Francum: quæ tres fratres, Supponis filios viro suo auxiliares adiunxerit. Suppo autem iste, in Chronico Monasterij Casauriensis vocatur *Suppo Piceni Comes, qui & Dux inscribitur, in*

Imperatoris exercitu fulgidus, Ludouici nimirum iunioris, Lotharij Aug. filij, Ludouici Pij nepotis, *Marchiæ Comes* ibidem dictus. Et in libro MS. instrumentorum Monasterij Casauriensis sæpe anni Supponis Comitis cum annis imperij Ludouici vel Hludouuici eius adnotantur sic: *anno imperij eius* XX. *&* I. *anno Supponis Com. die* XXIX. *mensis Septembris per Indictionem*. V. item *Supponis Comitis anno Comitatus*. I. item II. *anno Comitatûs Supponis*, propterea quòd res quæ per eas litteras Cœnobio Casauriensi conferebantur, in Supponis huiusce Comitatu sitæ erant. *Suppo Archiminister* vocatur à Guilielmo Bibliothecario S. R. E. in Vita Hadriani PP. II. hoc est Palatij Ludouici iunioris Aug. Archiminister, vel Maior domus: qualis Carolo Caluo Aug. fuit Boso Dux, Richildis Aug. frater, qui *sacri Palatij Archiministrum* in subscriptione Ticinensi seipse appellat. Idem electioni Caroli Aug. Ticini anno Domini DCCCLXXVI. subscripsit, post mortem Ludouici iunioris Aug. anno I. Nam inter signa Comitum quinto loco ibi reperitur *Signum Supponis Comitis*. Epistolæ Iohannis Papæ VIII. ad *Supponem illustrem* vel *Gloriosum Comitem* Indictione XI. datæ leguntur duæ. Alterâ Iohannes ipsum etiamsi Carolomanni partibus studeret, rogat vt ad se vnà cum Bosone Principe Romam redeuntem confestim veniat, & ceteros Proceres Italiæ præ-

occupet de Republ. secum acturus. Alterâ eidem mandat, sibi vt post pacem inter Reges Francorum frustra tentatam ex Gallia reuertenti, ad Montem Cinisem obuiam celeriter occurrat, simúlque Angelbergam Imperatricem, Anspertum Mediolanensem Archiepiscopum, Vuibbodum Parmensem Episcopum, aliósque fideles amicos precibus suis ad eumdem conuentum adducat. Legitur & tertia Iohannis PP. VIII. epistola data Indictione XIII. hoc est anno Christi DCCCLXXX. ad *nobilissimos viros Egifredum, Supponem, Eripaldum, Berardum Bonifacij filium, & Cotefredum Gloriosos Comites*, quâ eos orat vt Angelbergæ Aug. quæ Ludouici iunioris Aug. vxor fuerat, rerum possessionúmque omnium curam & sollicitudinem gerant. Idem Imperatorem Carolum Crassum rogat, vt *Supponem Gloriosum Comitem & communem fidelem* secum Rauennam ad colloquium adducat. Indict. XIV. anno DCCCLXXXI. Suppo igitur ille, socer mihi videtur fuisse Berengarij R. cùm sua ei vxor tres Supponis filios aduersus Vuidonem adiunxisse dicatur, & verisimillimum sit vxorem viro non alios quàm fratres & sanguine proximos adiungere potuisse.

Tunc fida satis coniux: peritura venenis,
Sed postquàm haustura est inimica hortamina Circes.]

Bertila tum valdè casta & fida erat viro suo

Berengario, & de eius salute sollicita, cui & fratres suos cum mille & quingentis equitibus aduersus Vuidonem adiunxit. Sed postea cùm malum secuta consilium Berengario fidem non seruâsset tori, ab eodẽ veneno sublata est: quod nusquam alibi quàm apud Poëtam nostrum legi.

Sexcentos vrguet ouantes
Leuto viros: etiam simili strepit agmine frater
Bernardus. Stimulant longis calcaribus armos
Alipedum cuncti, & cludunt latera ardua parmis.
Germanus sic bella gerit.]

Leuto, & Bernardus fratres sexcenos quisque equites, scutatos omnes more Germanico, & longis calcaribus vtentes ad R. Berengarium adduxere auxilio. Ex quo intelligitur Leutonem & Bernardum, quicumque illi fratres fuerint, natione Germanos seu Francos fuisse, etiamsi in Italia Comitatus aut etiam Ducatus obtinerent, ibíque vitam agerent, & plerosque equites suos ex eadem natione habuisse, licèt domicilio Italienses. Idem de trium Supponis filiorum mille & quingentis equitibus sentiendum est, quos Poëta noster ait loricis ferreis pectora tecta & galeas cristatas habuisse, *Teutonico ritu*; hoc est more patrio, more Germanico vel Francico,

Albricus, Tiberine tuas nunc sanguine lymphas
Qui fraude infecit.]

Albricus Berengarij adiutor, qui per fraudem nuper Tiberim cruentauit. Legitur aliàs: *tuas*

non sanguine lymphas qui fraude infecit. Hic Albricus tam Poëtæ nostro notus erat, quàm nobis ignotus est. Marociæ quidem filium, & Iohannis PP. fratrem vterinum Albricum Patricium Romanorum apud Frodoardum in Chronico inuenio, qui anno DCCCCXXXIII. Romam à Rege Hugone defendit, & quem inter ac Hugonem Odo Abbas pacem facere anno DCCCCXLII. conabatur: quem Albricum vel Albericum Marozia ex Alberico Marchione genuisse dicitur Liutprando in libri III. capite XII. Sed Albericus Romanorum Patricius à Poëta nostro designari non potest, cùm LIV. post pugnam Berengarij & Vuidonis anno vixerit. Ne *Albericus quidem Marchio* pater eius designari mihi videtur, qui Albericus Marchio anno DCCCCXV. florebat, vt Leo Marsicanus in libri I. capite LV. tradit.

Iámq; moræ impatiens glomerat Bonifacus amicos.] Bonifacius iste, per ætatem non potest esse Hubaldi filius Bonifacius, Comes potentissimus, quem sua ætate Camerinorum ac Spoletinorum Marchionem fuisse, ac Regis Burgundionum & Langobardorum Rodulfi sororem Waldradam in matrimonio habuisse, Liutprandus scripsit: sed nec Berardi pater Bonifacius, ad quem Berardum Iohannes PP. VIII. epistolam datam Indictione XIII. misit: neque etiam pater Adelberti Tuscorum Marchionis Bonifacius.

Aduolat Azo ferox, subigens in bella sodales.] In Chronici Noualiciensis Monasterij circa annum M L. sub Heinrico Augusto Imperatoris Chuonradi filio compositi libro V. ac penultimo inuenio, Adelheidam post viri sui Regis Lotharij mortem Ticini à R. Berengario iuniore Berengarij nostri nepote comprehensam, cùm arte pedisequæ esset elapsa custodiam; auxilium ab Attone auo Bonefacij petiisse: à quo in Canusinum castrum abducta, & à Rege Berengario diu frustra obsessa, ibi vsque ad Regis Ottonis aduentum in Italiam pæne tribus annis remanserit. Ottonem acceptâ in matrimonium Adelheidâ, vt Attonem ob fidem vxori suæ seruatam remuneraretur, castrum Canusinum ei quod Episcoporum Regensium fuerat, totámque regionem circumiacentem dedisse. Leo Marsicanus tres libros historiæ Monasterij Cassinensis ad suam ætatem, videlicet ad annum MLXXXIX. deduxit: cuius in libri I. capite vltimo scribit, cum Hugone Rege venisse in Italiam *Azzonem* hunc *Comitem* seu *Atonem*, auunculum Berardi cognomine Francici, propinquum ipsius Regis, à quo Marsorum Comites orti sint: mortuo Hugonis filio Rege Lothario; Adelaidem vxorem eius ad Atonem propinquum suum sese in Canusam arcem munitissimam contulisse, quam Berengarius cum Alberto filio ferè triennio obsederit, donec ab Ottone Rege Germaniæ obsidione

liberata anno DCCCCLI. & vxor ducta est. Domnizo Presbyter libros duos de vita Mathildis anno MCXV. composuit. Hic in capite II. libri I. ait, Attonem Principem quem & Comitem appellat, vnum fuisse è III. Sigefredi Principis filiis: qui Sigefredus relicto agro Lucensi, in fines Parmensium & Regiensium cum liberis transierit. Ex his Attonem Canossam quæ nuda silex erat in agro Regiensi, muris turribúsque muniuisse, & Adalardi Episcopi Regiensis militem factum esse, qui Adeleidam Reginam Lothario viro orbatam & ex arce Garda in qua custodiebatur elapsam, in castrum suum receperit, ibíque tribus annis & dimidio à Berengario R. obsessus sit: Attoni filium fuisse Tedaldum, cui Episcopus Romanus Ferrariam dederit; Tedaldo Bonifacium Ducem Mathildis patrem; & Chonradum filios exstitisse. Domnizonem sequitur Carolus Sigonius, & in libro VI. de Regno Italiæ prodit, *Sigifridum Comitem qui ab Atestinis Principibus genus duceret, anno* DCCCCXCVI. *ex agro Lucensi vbi aliquamdiu fuisset, in Regiensem migrauisse, atque ibi castella & possessiones multas pecunia comparauisse*: eius à filio Atone & *Mathildem Comitem, & Marchiones Atestinos* qui vsque ad suam ætatem *maximæ in Italia potentiæ & auctoritatis fuerint*, ortos esse. Quod si verum est, vti suprà ait diligentissimus auctor Sigonius, Sigefredum Principem Comitémve, patrem Atonis Comitis Re-

ginæ Adelhaidis defensoris, *ab Atestinis Principibus genus duxisse* planè existimem Azonem cuius Poëta noster meminit, & qui maiorem Berengarium anno DCCCLXXXIX. aduersus Vuidonem iuuit, Sigefredi Principis Comitisve patrem, Atonis Comitis, anno DCCCCLI. Berengarij iunioris obsidione liberati auum fuisse, eumdémque Atestinum Marchionem. Atto autem & Ato, Azzo, & Azo vnum idémque nomen est: quod complures ex ea familia Marchiones Atestini, Ferrariæ ciuitatis domini habuere, vulgò Azones Marchiones Estenses dicti. Quippe Ateste Venetorum est ad Atesim, à quo & cognominatur, qui fluuius in mare Hadriaticum effluit: & vulgò *Este* vocitatur. Poëta verò noster Azonem istum suum cum Olrico coniungit, quem *vicino à limite* maris Hadriatici manum suam coëgisse scribit hoc disticho,

Vicinóque suas cogens ab limite turmas
Olricus, Latium Hadriacis quà clauditur vndis.

Itavt Azonem Olrico & mari Hadriatico propinquum facere videatur: quod Atestino Marchioni optimè conuenit, Ateste ad Atesim in Hadriam decidentem positum obtinenti.

Vicinóque suas cogens ab limite turmas
Olricus, Latium Hadriacis quà clauditur vndis,
Ac labor est sæuis gladios pretendere Abaris.] Olricus iste adiutor & commilito Berengarij, finitimus Azoni, & mari sinuive Hadriatico Venetiam Italiæ regionem terminanti; haud

dubiè est Odalricus vel *Odelricus Comes Palatij* Berengarij, à Sueuis Alamannísve ortus: quem Liutprandus in libri II. capitibus XV. & XVI. prodit, postea à Berengario in vincula coniectum Lantbertóque Archiepiscopo commendatum ac traditum, atque Rege insciente dimissum esse: & cum Adelberto Eporediæ Marchione, genero Regio, cum Gileberto Comite prædiuite & strenuo, cum Lantberto Mediolanensi Archiepiscopo, & compluribus aliis Principibus Italiæ à Berengario desciuisse, & Rodulfi Burgundionum Regis in eius locum substituendi consilia iniisse apud Brixiam, ibíque ab Hungaris Berengario amicis cùm se viriliter defendisset, præter ceteros interfectum esse, Adelbertum Marchionem & Gilebertum viuos captos. Ceterùm Poëtæ de Olrico verba indicant eum, quum inter Berengarium & Vuidonem iterum pugna commissa est, præfectum *limitis* Italiæ mari *Hadriatico* proximi, seu Marchionem Foroiuliensem exstitisse.

Ac labor est, sæuis gladios prætendere Abaris.] Ita legebatur in codice MS. *Abaris* vel *Auaris:* quod cùm non intelligeret librarius, *Iberis* scripsit magno errore. Quippe Iberi vel Hispani multum absunt à Venetia & à sinu Hadriatico. Auares autem Græcis vulgò dicti sunt Ἄβαροι & Ἀβάρεις vel Ἄβαρες, id est Abari & Abares; Victori Tununensi Episcopo Abari in Chronico, vt Poëtæ nostro; Theodulfo etiam, vt

Isidoro & Iohanni Biclarensi Abares hoc versu
Quod deformis Abar, Pannonicúsque Gipes.
Annales Fuldenses in rebus anni DCCCXCVI. & plurimi veteres rerum Caroli Magni scriptores Auaros, plerique Auares appellitarunt. Panegyristes noster heic Abarorum seu Auarum nomine Hungaros designat, quos per Aquileiam & Veronam Venetiæ vrbes Italiam tum ingredi consueuisse in libri II. IV. & XVI. capitibus notat Liutprandus. Auares porrò, Turci, & Hungari Hunnicæ erant nationes: minùs vt mirum sit Auarum appellatione Hungaros designari, qui & eiusdem essent originis, & easdem quas antè Auares ad Histrum sedes incolerent. Sic & Vuitichindus Corbeiensis Monachus, qui ad Ottonis maioris mortem seu ad annum DCCCCLXXIII. Annales suos deduxit, *Dalamanti* (inquit) *conduxerunt aduersus eum Auares, quos modo Vngaros vocamus, gentem bello asperrimam:* & circa finem libri I. Annalium ac in libro III. eosdem modò *Vngaros*, modò *Auares* appellat. Sic Roswitha Gandersheimensis Monacha ab Heinrico Baioariorum Duce, Oddonis seu Ottonis Magni fratre, sæpe superatos *Auares* siue Hungaros scribit.
Auaresque per hunc sæui sæpissime victi.
Ditmarus quoque Mersepurgensis Episcopus, qui anno MXVIII. obiisse dicitur, sæpe in libro præsertim II. Chronici Hungaros *Auarum pharetratorum* nomine designauit, præcipuè his verbis.

verbis. *Ecce iterum Auares, id est Vngari aduersum nos arma commouerant.* Auctor Annalium Fuldensium Vuitichindo, Roswitha & Ditmaro multo vetustior, in rebus anni DCCCXCVI. & anni DCCCC. ita etiam loquitur. *Pacem Græci eodem anno cum Auaris qui dicuntur Vngari, facientes:* item, *Auari qui dicuntur Vngari, totâ deuastatâ Italiâ regressi sunt.* Eosdem Poëta noster in libro isto Vngros vocat hoc versu,

Vngrorum cupit infaustas differre sagittas.

Tertius.

Vngros similiter in quibusdam Chronicis, ab Hepidanno & *Agarenos* vocatos inuenio, nomine Vngarorum in Agarenorum vocabulum corruptè mendoséque detorto. Zonaras quoque Οὔγχους, Vngrósve pro Hungaris vel Vngariis appellare consueuit: Nicetas in libro II. modò Οὔγγρους; modò Παίονας seu Pannonios à sedibus quas occupauerant dicit: interdum Οὔννους Hunnos, vt & Suidas, communi Gentis nomine appellat: quod Hunnorum nomen Auaribus etiam & Turcis ab historicis attributum reperias. Sed quod forsitan pauci obseruauere, Hungari postquàm Pannoniam armis occupauerunt, interdum non tantùm Auarum, sed etiam Turcorum appellatione impropriè sunt designati. Constantinus Porphyrogennetus Turcos Patzinacitis & Rossis confines facit, & in capite XII. libri de administrando Imperio ait, Turcos habere ab Occidente Fran-

ciam, à Septemtrione Patzinacitas seu Transsiluanos, à Meridie magnam Morauiam, quam subegerint: Chrobatis etiam ad montes versus finitimos esse. Constat autem hodiéque Hungariam Transsiluaniâ, Croatiâ, Morauiâ, & Russiâ terminari; Sauo flumine à Croatia diuidi. Et in capitibus XXVII. ac XXX. scribit Langobardos & Auares coluisse Pannoniam circa Danubium, vbi iam Turci habitent. Idem in capite XL. pontem Traiani, & Belegradam Belogradúmve seu Taurunum, & Sirmium in Turcia ponit: & in capite XLII. Turcos inter Danubium & Sauum iacentem regionem etiam obtinere ait. Liutprandus in libri II. capitibus II. & VIII. eosdem nunc Hungaros, nunc Turcos appellat. Zonaras quoque in Leone Philosopho *Turcorum ad Istrum qui & Vngri vocantur* meminit; & in Constantino filio Leonis, ab eodem Bologudes & Gyla *Turcorum vel Vngrorum Principes* vocantur: ac in Nicephoro Phoca Turci, qui & Vngri Thraciam vastâsse dicuntur. Hæc fusiùs sum persecutus, vt qui historicos legunt, intelligant sæpe vnam eamdémque Gentem pluribus nominibus cùm communibus tum propriis, & nonnumquam impropriis; & plures Gentes vna appellatione designari.

Farier illectos studia Mauortis vtrimque Pontifices vereor.]

Ergo Poëta noster notos quidem habuit Epi-

ſcopos, qui poſteriori pugnæ inter Berengarium & Vuidonem initæ interfuerunt: ſed vt dignitati eorum parceret, vniuerſos indictos tranſmiſit. Duces autem ac Epiſcopos qui prœlio huic interfuere, notos habere niſi auctor æqualis non potuit. Et Duces quidem, ſeu Proceres Italiæ & Galliæ, vtrarumque partium adiutores commemorauit Panegyriſtes; Antiſtites vt dixi de induſtria omiſit, quos ſacri Canones bellare vetuerunt.

Rheni licitum nec fœdera paucis
Efſari.]

Ex his verbis intelligitur, Berengarium qui anno DCCCLXXXVIII. cum Arnulfo Rege Germaniæ iam pacem fecerat, iterum inſequenti anno ante alteram iſtam pugnam cum eodem Rege artius fœdus iunxiſſe metu Vuidonis.

Prohibere minas Vuidonis iniquas
Sitne pium, ſapitis, dudum qui funera campo
Experti.]

Ex prioris pugnæ euentu intelligitis, didiciſtis, ſcitis pium æquúmque eſſe cum Vuidone pugnare: qui me regno à vobis delato ſpoliare conatur, inquit Berengarius. Sapere pro ſcire tum dicebant, & pro docto ſapientem, vt hodiéque patriâ linguâ dicimus.

Vix labara oppetiens.]
Vix ſigna exſpectans atque vexilla.

Sed iam bella vocat. Alias nunc ſuggere vires &c.]
Hos xx. verſus vſque ad

Aëriam Rhodopen solida niue verberat arctos.
ex Statianæ Thebaidos libro VIII. pæne ad verbum transtulit in Panegyricum suum Poëta noster: qui à Statio plerumque, ac nonnumquam ab aliis veteribus Poëtis comparationes suas, descriptionésque mutuatur.

Hinc acies sequitur caso ductore, furítque
Alcherium sternens heros Atesinus, & Othum.] Etsi hoc de Vualfredo Berengariano potest intelligi, qui interfecto Vuidone Sequanico, milites ipsius Duce destitutos insecutus sit, & ceciderit: tamen *herois Atesini* nomine Regem Berengarium designari malim, quem constat Veronæ ad Atesim commorari consueuisse, eámque sedem Ticino vrbi Regiæ & Langobardorum Regum sedi veteri prætulisse. Sic Gregorius Turonicus Episcopus in libri I. historiæ Francicæ capite XL. & in libello de Vita S. Hillidij Aruernorum Episcopi *Imperatorem Treuericum* appellat Maximum, qui in Britannia insula factus Imperator, Gratiano Aug. in Galliis victo & interfecto, Augustæ Treuirorum sedem statuerat: quæ vrbs iam inde à Constantij Chlori Cæsaris exortu per annos ferè centum Imperatorum & Cæsarum in Galliis morantium Regia iam fuerat. Sic & Theodericus Gothorum & Italorum Rex, à Germanis scriptoribus cognominatus est Veronensis, quòd Veronam sæpe sedem habuisset, eámque vrbem nouis & refectis operibus exor-

nauisset: etsi aliqui Rauennensem dictum malunt. Ceterùm in posteriore versu Ascherium legendum puto potiusquàm Alcherium: & ita typis imprimendum curaui. Nam Ascharius vel Ascherius notum est nomen; Alcherius ignotum. *Othum* autem vel Otum pro Ottone Poëta posuit: sicut à Theophylacto Simocatta in libri VI. capite III. Theodorici Francorum Regis legati Βόσος & Βέτλος, seu Bosus & Bettus vocantur, qui Boso & Betto dicebantur. Constantino quoque Porphyrogenneto in capite XXVI. frater Regis Italiæ Hugonis nunc Βόζων, nunc Βοῦζος seu Bosus appellatur, quem Liutprandus in libri IV. capite V. ceterique Bosonem nuncupant. Imp. Otto maior, Ὦτος ὁ τῶν Φράγγων Βασιλεὺς Cedreno dicitur, id est Otus.

Nî Rhodanicus succurrere Ductor
Admonitus, fessis subitò adforet vltor amicis.] *Rhodanicus Ductor* est Vuido, ducens in prœlium Rhodani accolas, vel ortus maioribus Francis, incolis Galliæ ad flumen Rhodanum. Vnde subiicit Poëta
Haud aliter dirum Vuido se tollit in æquor.

Hic celsum quòd cernit equo turbare sodales
Erardum.]
Vuido Rex indignatus & ægrè ferens ab Herardo Berengariano suos equis deturbari, deiici. Poëta noster Erardum pro Herardo, vt Vbertum pro Huberto, pro Hubaldo Vbal-

dum, pro Hildebrando vel Childebrando Ildeprandum dicit, more Italorum qui tum adſpirationem oderant.

Oſharij, comites rabido clamore vocantis] *Otgarij* ſcribi malim, & ita in codice ſcriptum fuiſſe puto, quod librarius in Oſharium mutauerit. Quare *Otgarij* edi curaui.

Elatáſque domos rutilo farcire metallo.] Notat Poëta per Hubertum Gallum auaritiam & ambitionem Italorum ætatis ſuæ, altis domibus & auro refertis gaudentium: cùm Galli contrà ſeu Franci Galliæ domini humilibus ædibus eſſent contenti, quas hoſtilibus ſpoliis exornare conſueuerant.

Depreſſúmque larem ſpoliis hinc inde coactis
Suſtentare.

Sæuior at miſeris inſtat regnator Etruſcis
Heſperia.]

Regnator Heſperiæ Berengarius eſt, qui Tuſcis Spoletiniſve & Camertibus pro Vuidone pugnantibus acriùs inſtabat.

Cùm multa gementi
Valde grauis curuas perfringit lancea coſtas.] Omninò ſcriptum erat in codice *Vualdegraui*, id eſt Vualdgrauij, quod nomen linguâ Germanicâ ſiluarum Comitem Præfectúmve ſignificat; aut certè *Vualdegari*: vulgò Germani Vualdger aut Vualdgaer dicunt. Sed prius malo: quod nomen cùm librarius non intelligeret, ineptè diuiſit in duo, & ſcripſit *Valdè grauis*

ſenſu, & contumaci ſyllabâ repugnantibus.

Ac velut Edoni Boreæ cùm ſpiritus alto
Inſonat Ægæo.]

Hic verſus cum tribus ſequentibus & hemiſtichio Virgilij eſt in libro XII. Æneidos. Cetera Poëtæ noſtri furta, ſuo quodque loco notare tanti non eſt.

Vt vidit ſocios Regi dare terga ſequaci
Ildeprandus.]

Vt vidit Hildebrandus Tuſcus ſocios ſuos in fugam coniectos, Rege Berengario inſequente.

Num ſacra riguit Styge? Num penetrabile plantis
Hunc modo tergus obit?]

Alludit Poëta ad Achillem. An Berengarius Achillis exemplo Styge lotus induruit? An cutis ei eſt telis impenetrabilis præterquàm in planta?

Mortali vrgemur ab hoſte,
Haud legione, pium Domino quæ ſeruit ad vſum.]

Non à legione aliqua Angelorum, quibus Deus vti conſueuit, ſed à Berengario *hoſte mortali mortales vrgemur*: quod Hemiſtichium Virgilianum eſt.

Femur ingenti ferit eminùs ictu
Ductoris Latij. Satis hoc: & tollere greſſum
Ponè citus facti cogente timore parabat.]

Hildebrandus cùm Berengarium Regem eminùs vulneraſſet in femore, contentus audaci facto, & ne ab ipſo interficeretur metuens, fugere parabat: optabátque illæſus euadere, ſatis actum exiſtimans, quòd fortiſſimo viro &

magno Principi vulnus intulisset.

Terebrat faciem quartis sine lege labellis.] Vulnus duo vtrimque labra facit in cute. Itaque Berengarius Hildebrandum vulnerando in facie, pro duobus IV. ei labra fecisse videbatur.

HADRIANI VALESII
IN LIBRVM III.
NOTÆ.

LIBER III. incipit ab eo versu

Tanta per Ausonios deferuere prœlia campos, qui in pag. XXXIX. sextus est versus. Quod ideo notandum est, quia nescio qua ratione accidit inter edendum, vt libri II. & III. in vnum coniungerentur, nec initium libri tertij à fine secundi distingueretur.

Móxq; vocans genitum: Duros Sinbalde maniplos Inquit age.]
Filius Arnulfi Regis Germaniæ ex concubina, quem Poëta Sinbaldum vocat, Cendebaldus Abboni; in Annalibus Fuldensibus Zuuentibaldus, & Zuentibolchus; Reginoni Zundibolch; Zuuendeboldus Liutprando dicitur. Tametsi autem in libri II. fine Poëta ait, posterius prœlium Berengarium inter & Vuidonem post magnam vtrimque cædem factam nocte esse

diremtum: tamen hæc Arnulfi ad filium verba

Tot veniunt. Tantúmne potis perferre dolorem,
Nostra vt progenies propria vexetur in aula?

satis ostendunt euentum huius prœlij Berengario pæne exitiabilem fuisse. Ægrè fert Arnulfus, quòd ad Vuidonem post pugnam istam confluant Galli Rhodani & Araris accolæ, ac Hydræ Lernææ capitum more *per vulnera succrescant, Tot veniunt:* & quòd Berengarius propinquus & amicus suus suo in Regno, sua in sede *vexetur.* Cuius verò aliûs copiæ crescere solent quàm victoris? Cuius aliûs imminui quàm victi? An Vuido Berengarium *vexare* post prœlium potuisset, si non vicisset? Victus à victore *vexari* solet; victor à victo non solet, non potest. Et victus potiusquàm victor externis eget auxiliis, qualibus tum Berengarius indiguit: cui Arnulfum sponte nec roganti ac necopinanti quidem auxilia contra Vuidonem misisse, vti credi vult Panegyristes, parum verisimile est.

Et mœnia scindam
Ausoniæ, rutilam donec veniatur ad aulam
Clauigeri.]

Denuntiat iam Arnulfus, se post filium Italiam ingressurum, & vrbes quæ portas sibi clauserint excisurum, ac viâ armis factâ Romam venturum, ibíque in aurata Basilica S. Petri, cui claues regni cælorum à Christo commissæ sunt, vota facturum.

Celsas nimiùm quà tollit in arces
Se regnum, ac subitis Rhenos discriminat oris.]

Locus, vbi præcelſam in arcem attollitur Italia, & à Venetis Germanos diuidit, ſeu potiùs Vindelicos Arnulfo Germaniæ Regi ſubiectos, eſt vt puto Tridentum, in finibus Italiæ ad flumen Ateſim poſitum, quod opidum abeſt ab Auguſta Vindelicorum millia paſſuum circiter CCXII. & Marchiæ Tridentinæ apud Liutprandum in libri IV. capite III. nomen dedit. Quo in loco anno DCCCLXXXVIII. cum R. Arnulfo collocutus erat Rex Berengarius, pacémque fecerat, vti Annales Fuldenſes docent. Rheni autem, ſunt accolæ fluminis Rheni, & ab eo cognominati, ſicut Stephanus de vrbibus & populis ſcribit: Rheni pro Rhenanis aut Rhenenſibus dicti: ſed heic pro Vindelicis Tridento confinibus ponuntur à Poëta. Legendum autem videtur

ac Venetis Rhenos diſcriminat oris.

Nec aliter ſcriptum in codice fuiſſe puto, pro quo librarius ineptè ſuppoſuit *ſubitis* nullo ſenſu.

Téque valere cupit, pacatis fœdere campis
Manſuro Latij.]

Pater meus Arnulfus, meum tuúmque præſidium valet, & valere te cupit, Rex Berengari, ac *campis Latij fœdere manſuro pacatis* frui, hoc eſt, te in Italia quietum & diuturnæ pacis compotem regnare, ac fœdere quod cum ipſo iniiſti, diu gaudere optat.

Interea loca tuta petit Dux Gallicus, atqui
Non geminis obſtare ſua virtute tyrannis

Posse videns.]
Rex Vuido Gallicis fretus auxiliis, Ticinum vrbem naturâ munitam petiit, & castra ibi ad Veruauolum amniculum posuit: cùm intelligeret se duobus Regibus Berengario & Zuuentibaldo (nam & Regum filij Reges *tyrannive* appellantur) viribus imparem esse, ac resistere vnum ambobus non posse.

Illi fremitu (miserabile) clusos
Irritant, hinc inde solum peragrando Latinum.]
Berengarius & Zuuentibaldus Widonianos Ticino & aliis locis munitissimis inclusos minis, probris, & excursionibus populationibúsque agrorum elicere conabantur ad eruptionem & pugnam: sed cùm animaduerterent nihil eos audere, non æquo dare se campo, monerétque Berengarius solum se ad Widonem debellandum parem fore, Zuuentibaldus ad patrem suum rediit. Vt de caussa aduentus, sic de caussa reditûs Zuuentibaldi Liutprandus aliter sentit ac Sigebertus.

Fortia iussa citò scribæ sulcate papyris,
Actutum populos cogant quæ adstare iubenti.]
Hypallage est, sulcate iussa papyris, pro sulcate iussis meis papyros, id est chartas è papyro factas. Mos tum erat Regibus Francorum, populis ditionis suæ cunctis, aut vni alicui nationi proximæ in generali Conuentu expeditionem in hostem indicere Procerum consensu comprobatam, vel saltem Comitibus Præfe-

ctíſvę ciuitatum, & Ducibus prouinciarum ſcribere atque mandare, vt certum in locum certo die ſuos quiſque milites adducerent: ſicut ab Arnulfo tum factum eſt. *Scribæ* autem ſeu Notarij, in Gloſſis *Silentiarij* dicuntur. Chartam ex papyro præparatam Poëta noſter papyrum ſuprà vocat, quo nomine chartam noſtram ex veteribus pannis quiſquiliiſque confectam appellamus. Petrus Mauricius Venerabilis, Abbas Cluniacenſis in tractatu contra Iudæos poſtquàm *in pellibus arietum & vitulorum*, id eſt in membranis Pergamenis, *in biblis iuncíſve paludum Orientalium*, ſeu in charta ex papyro Ægyptia, Nilotica, Syria, Babyloniáve confecta pennis calamíſve ſcribi ſua ætate ſolere ait; chartam quoque qua nunc vtimur deſcribit his verbis. *Legit, inquis* Iudæe, *Deus in cælis librum Talmuth: ſed cuiuſmodi librum? Si talem, quales cotidie in vſu legendi habemus, vtique ex pellibus arietum, hircorum vel vitulorum; ſiue ex biblis vel iuncis Orientalium paludum; aut ex raſuris veterum pannorum ſeu ex qualibet alia fortè viliore materiâ compactos, & pennis auium vel calamis paluſtrium locorum qualibet tinctura infectis deſcriptos.* Ex quo apparet, ætate Petri Mauricij ante annos D. chartam noſtram vulgarem iam tum in vſu fuiſſe, eámque cùm alibi tum apud Aruernos (vbi optima hodieque fit) ex raſuris veterum pannorum & ex qualibet alia vili ma-

teria compingi consueuisse, cerarum & corticum & linteorum vsu pridem abolito. Qui chartæ nostræ vulgaris ante Mauricium meminerit, neminem obseruaui.

Oderit Hesperia, faxo, Dux nomen amata
Improbus, extremis terræ vel postus in oris.] Faciam, oderit Vuido tantopere amatam sibi Italiam, in extremas terræ regiones à me relegatus. *Ducem* Arnulfus per contemtum vocat Vuidonem Aug. quasi tum adhuc Spoletinorum Dux solummodò esset. *Postus* dixit Poëta per syncopen pro positus.

Cùm Vuidonis abit raucore soluta superbo
Fama in castra rei.] Cùm fama rei, superbâ raucedine soluta abit in castra Vuidonis. Raucorem Poëta vocauit, quam alij rauim, alij raucedinem & raucitatem appellare malunt.

Moneo, seruate secundis
Rebus eò vosmet, tantis ac parcite bellis.] Ideò vos rebus secundis seruate, & vsque ad Arnulfi discessum ex Italia abstinete à prœliis, ac vobis quisque qualibet ratione consulite.

Pingue solum interea Regum dum lustrat vterque] *vterque Regum*, Arnulfus & Berengarius. Sic infrà:
Qui Regum infelix postquàm defertur ad aures.
Item
Vrget enim vtrorumque nimis præsentia Regum.
Item

Regum imperio Romana petentum Atria;
Et
Ne lepidos caperent siquidem sedata tyrannos:
Ibidem
Talibus imperiis talique hortamine Regum.
Necnon
Admittúntque Duces veneranda ad delubra mites.
Quibus in versibus *Regum*, & *tyrannorum*, & *Ducum* nominibus Arnulfus & Berengarius designantur.

Pergami aduenivnt vrbem.] Pergamum Paullus Langobardus, Regino, Annales Fuldenses & Mettenses, & Liutprandus, ceteríque eorum temporum scriptores vocant vrbem Bergomum in Venetia positam.

Captúmque locis emittere firmis Vi certent.] Hoc est, contendant vi captum firmo munitóque loco deiicere, expellere, extrudere, nimirum Bergomo.

Vrget enim vtrorumque nimis præsentia Regum, Mœnia quod retinent carum pro munere dantũ.] Valdè *enim vrget vtrorumque Regum præsentia, dantum pro munere, quod carum retinent mœnia*, id est, direptionem vrbis militibus pollicentium. *Nimis* tum vt & *satis* dicebant pro valdè, admodum. Sic Poëta noster Bergomum vrbem fuisse ait

Munitam iaculis nimiùm sudibúsque praustis,
Naturâ tribuente locum satis arcibus aptum.

*Nec possunt obstare tamen, Tot millibus acti
Deficiunt verùm.*]

Opidani licèt se strenuè defendant, tamen Germanis resistere non possunt; sed à tot millibus hominum armatis oppugnati, deficiunt atque succumbunt.

*Ecce verenda priùs nullo sub honore tenentur
Atria.*]

Ecclesiæ, quæ cunctis venerationi antè erant, inhonoratæ à milite victore violabantur impunè. Ibi velaminibus, vittísque seu ligaminibus, & Guimpis scissis sacræ Virgines corrumpebantur; inde Presbyteri Clericíque fugiebant: cùm viderent, quosdam Presbyteros trahi vinctis manibus, quas Catholici post Communionem osculari consueuissent.

*Nam scissis pereunt velamina vittis
Virginis; impulsúsque sacer fugit ipse minister:
Quorumdam stringunt ambas quia vincula palmas,
Oscula quæ solitæ sacris sentire litatis.*

De Arnulfi militum immanitate & libidine ea in expeditione sic Liutprandus in libri I. capite IX. refert. *Sacerdotes Dei vincti trahebantur: sacræ Virgines vi opprimebantur: coniugatæ violabantur. Neque Ecclesiæ confugientibus poterant esse asylum: sed mulieres eôdem publicè prostituebantur.*

*Adscensu celeri petit ardua turris,
Ædibus ingeniis quorumdam Marte refertis
Pellitur inde tamen.*]

Ambrosius Bergomatium Comes vt vidit vrbem vi captam expugnatámque esse, in turrim se contulit, nullum aliud receptaculum tanto in discrimine sibi superesse existimans.

Nil sibi sub tanto fidens superesse periclo.

Inde tamen depulsus est & captus,

Ædibus ingeniis quorumdam Marte refertis.

Hoc est turri ipsa, vel ædibus turri contiguis, per quas aditus ad turrim erat, quorumdam Mechanicorum arte vique reseratis & effractis. *Refertis* per syncopen Poëta dixit pro reseratis, vt in libro I. *parta* pro parata. Ingenia autem machinas appellari, & Architectos seu Fabros ac μηχανοποιοὺς, Ingeniosos etiam Latinis dictos esse constat, quemadmodum nos hodieque cum Hispanis eos vocamus. Hoc nomen ante annos xx. apud C. Plinium Cæcilium in libri Epistolarum x. epistola XL. obseruare memini: quod & Ægidium Menagium V. C. monui, cùm anno MDCL. Origines linguæ Francicæ ederet. Traiani Aug. ad C. Plinium Secundum de Nicensium theatro & de Claudiopolitanorum balineo scribentis verba sunt hæc. *Architecti tibi deesse non possunt. Nulla prouincia est, quæ non peritos & Ingeniosos homines habeat: modò ne existimes breuius esse ab Vrbe mitti, cùm ex Græcia etiam ad nos venire soliti sint.* Ceterùm librarius perperam scripserat

Ædibus ingenuis quorumdam Marte refertis.

Quibus

quibus verbis nullus ineſt ſenſus tolerabilis.

Sed quia non illis Prædo tutacula terris
Obtinuit; ſubitò Etruſcas procinctus ad oras
Vertit iter, Regum imperio Romana petentum
Atria: ne ſumma forſan quia manſit in aula;
Haud latuiſſe queat Gallus ſe dicere, poſtquàm
&c.]

Sed quia Wido poſt amiſſum Bergomum nulla ampliùs in Liguria & Venetia habebat munita loca & perfugia, iuſſu Regum Arnulfi & Berengarij agmen ſubitò proceſſit in Etruriam (vbi Vuido Camerinum & Spoletium præ ceteris obtinebat) & ad vrbem Romam: ne forſan Vuido poſt Arnulfi diſceſſum ex Italia, dicere poſſet atque iactare, ſe minimè latuiſſe, qui Romam tum tenuerit. Prædo vocatur à Poëta Vuido, quia Berengarij Regnum inuaſerat. Sic Procopius *latro nocturnus* & *prædo* dicitur in Chronico à Sirmundo edito: ſic tyranni varij à variis auctoribus latrones & prædones nuncupantur. *Summa aula* vt puto dicitur Poëtæ altiſſima munitio in ipſo Vrbis aditu ad Pontem, cuius in vertice Eccleſia Sancti Angeli ad Cælos poſita erat, ab Archangelo Michaële ita cognominata: de qua munitione vel caſtello, déque Eccleſia Liutprandus in capite XII. libri III. refert. Tutacula vocauit Panegyriſtes noſter loca tuta ſitu, arces aut caſtella arte vel naturâ munita. Tutaculum ſeu tutamen à tutari, vt miraculum à mirari deductum.

Fugerat hic Romana vafer sed culmina tandem,
Ne lepidos caperent siquidem sedata Tyrannos.]
Sed Vuido *tandem Romana* in *culmina fugerat*, seu in arcem S. Angeli sese contulerat, metuens ne pacatis motibus partium, Arnulfum & Berengarium Reges citra vim indefensa Roma reciperet.

Hi tamen accitis hostilia crimina pandunt
Signiferis.]
Hi tamen ambo Reges, Arnulfus & Berengarius Primores exercitûs ac signiferos conuocatos edocent, quid Vuido hostis fecerit, quídque mereatur: Sergij Antipapæ Vuidoni fauentis, Sergianorúmque aduersus Formosum Episcopum Rom. iniurias exponunt, ac *clausas portas insistere* id est oppugnare eos iubent.

Vi saltem reserantis adire vt limina cælum
Principis Ecclesiæ liceat.]
Vt saltem sibi liceat vi adire limina Ecclesiæ Principis reserantis cælum, seu limina Basilicæ Sancti Petri Apostolorum Principis, cui Christus claues cæli commisit: id est vt saltem vrbem Leonianam vel Romam Leonianam heptapylon, quæ Burgus S. Petri dicitur, per vim intrare possent; ibi in Basilica B. Petri & ad sepulcrum eius vota facturi, ac promissa dona oblaturi.

Talibus imperiis, talique hortamine Regum
Induuias rapiunt cuncti Mauortis anheli.]
Iussis & allocutione Arnulfi ac Berengarij Regum accensi milites, cuncti arma capiunt, quæ

Poëta *Mauortis induuias* appellat, quòd his pugnaturi induantur.

Iam quia parta sibi speculantur nigra Quirites,
Vndique diffusis reserant penetralibus Vrbem,
Admittúntq; Duces veneranda ad delubra mites.]

Romani, cùm viderent aduersa sibi imminere muris vndique effractis & deiectis, portas vrbis Leonianæ patefaciunt, & ambos Reges in B. Petri Basilicam introducunt. *Parta* Poëta dixit pro parata, impendentia. Sic in libro I.

Manus capulo sit parta.

Et in libro IV.

Forte aliqua partos valeat si rumpere nodos.

Quo in versu tamen forsitan legendum est potiùs *artos*: ita vt synalœpha non fiat, siue præcedentis vocalis a elisio.

Ardet inexpletum Ductor proferre furorem
Barbarus: infrenes animos sic ira fatigat.]

Ductor Barbarus, id est Arnulfus Dux Barbarorum seu Germanorum, iratus post vota in Basilica B. Petri soluta vult totâ Româ potiri, vult & cupit Vuidonem vsque ad internecionem persequi & capere. Vnde subiicit

At Ductor Latij socium sine more tyrannum
Vt videt ingruere.]

Id est, postquàm Berengarius Rex Italiæ socium suum Regem Arnulfum vidit nimis imminere Vuidoni. Et infrà de Arnulfo.

Mitior his dictis patitur repedare volentes &c.
Quid faciat, quò se vertat, quæ mœnia visat

Ignorat rationis inops. Nam summa tenebat,
Spes vbi pestiferis restabat postera Gallis.]
Heic Poëta non de R. Arnulfo loquitur, sed de Vuidone Augusto nesciente quò se verteret, aut quæ in opida quásve in regiones sese conferret, imminentibus sibi Arnulfo & Berengario. Tum autem Vuido altissimo munimento vel arce Sancti Angeli suam suorúmque Tuscorum & Gallorum salutem tuebatur, vt docent hæc verba,

Nam summa tenebat,
Spes vbi pestiferis restabat postera Gallis.

Idem suprà de Vuidone dixerat.

Ne summa forsan quia mansit in aula,
Haud latuisse queat Gallus se dicere.

Spes postera dicta est à Poëta pro postrema, suprema.

Desine Rex venerande: satis virtute peractum.
Nec decet vlteriùs socios deducere Rhenos.]
Berengarius Arnulfum alloquitur; & satis viribus actum esse ait, nec opus esse Germanos socios suos vlteriùs ab eo duci. Rhenos iam suprà pro Germanis dixit.

Nam si itidem Vuido victis spem ponit in armis,
Adueniat tumidus dextrâ hac sine, posco, domandus:
Te dominante viris antiquo fœdere iunctis.]
Nam si Vuido iterum arma resumit, *sine: posco tumidus adueniat, hac meâ dextrâ domandus.* Hoc est, patere, fer eum insanire: opto vt ar-

matus mihi occurrat. Viribus meis haud dubiè superabitur: dextrâ meâ prosternetur; nec vllis ad id auxiliis egeo.

Te dominante viris antiquo fœdere iunctis.] Anno regni I. Christi DCCCLXXXVIII. Berengarius pacem cum Arnulfo fecerat, vt Annales Fuldenses & Chronicon Hermanni docent: iterum sequente anno ante posteriorem cum Vuidone pugnam, artius fœdus societatémque belli cum eodem Arnulfo iunxerat, vt Poëta noster suprà testatur his verbis;

Rheni licitum nec fœdera paucis
Effari.

ita vt *antiquum fœdus* dici potuerit à Poëta, quod ante annos IX. initum, ante VIII. confirmatum erat. Liutprandus in capite VII. libri I. bis renouati postea huius fœderis meminit, primùm ante Zuuentibaldi aduentum in Italiam, secundò priusquàm Arnulfus ipse intraret Italiam. Scribit autem à Vuidone bis victum Berengarium, promisisse Arnulfo potentissimo Regi, *se suósque eius potentiæ seruituros, si ipsius auxilio Vuidonem superaret, Regnúmque Italicum sibi vindicaret*: & eumdem cum Zuuentibaldo domum reuertente Arnulfum adiisse, *pollicitúmque esse, si ipsum adiuuisset, se totam Italiam (vt antè promiserat) ditioni eius subiecturum*: hoc est, se & suos *milites*, aut (vt vulgari vtar verbo) *homines* Arnulfi futuros; se Langobardiæ Regnum de manu Ar-

nulfi accepturum, & beneficio eius possessurum Italiam, cui Arnulfus ex pacto fœdere dominaturus, quam sub ditione sua habiturus esset. Hinc Poëta dicit de Arnulfo

Te dominante viris antiquo fœdere iunctis.

quasi ex fœderis condicionibus dominus esset Arnulfus Langobardiæ ipsi subiectæ, & omnium in Langobardia sedes habentium, nimirum Francorum, Langobardorum, Italorum.

Germana Princeps metuendus & arbiter aulæ.] Arnulfus, qui ibidem à Berengario *Rex venerandus*; à Poëta *Rex verendus* vocatur. Ceterùm heic Poëta quem Liutprandus secutus est, vnam tantùm Arnulfi expeditionem Italicam, Bergomum Romámque ingressi commemorat: cùm ceteri duas referant, quarum priore Bergomum expugnatum sit, posteriore Roma: & Romanis ipsis portas patefacientibus vrbem Leonianam ab Arnulfo ac Berengario intratam, donáque ab ambobus Regibus in Basilica B. Petri super altare oblata esse, ac suasu Berengarij Arnulfum copias reduxisse in Germaniam solus dicit Poëta noster; nec Imperatorem Romæ appellatum factúmque eum ait, vt suprà monuimus.

Legirupis en Vuido tubis rediuiua resumit
Agmina, item vetitos cupiens peruadere campos.] *Legirupæ tubæ* dicuntur Poëtæ, quòd leges pacémque rumpant: sicut fœdifragus dictus à fœdere frangendo. *Item*, id est, iterum inua-

dit Wido partem regni Langobardiæ, quæ Berengarij erat. *Itidem* Poëta suprà dixit eodem sensu,

Nam si itidem Vuido victis spem ponit in armis.
Sauior ipse etiam Regni Pater hostibus arma
Molitur, tantos auidus finire labores.]

Ipse etiam Berengarius pater, tot bellis conatibúsque Vuidonis è miti sæuus trúxque redditus, copias cogit, hostíque regni sui occurrere parat, conficiendi belli cupidus. Scriptum est in codice auidʋs. Nimirum Græci pro u Latino ʋ proferebant & scribebant:& nonnumquam o. Sic dicebant ἀδιῦτα Δέυς, pro adiuta Deus aut adiuua; τυρβέτης pro turbetis; σεκυάτυρ pro sequatur: Βυκελλάριοι, Δεπυτάτοι, Δοῦξ, Εξκούβιτον, κλεισοῦραι, κοντυβέρνιον, Κύρσωρες, Σεκούνδοι, Σκυτάτοι, Τειβοῦνοι, Χαρτυλάριοι, νοβίσκυμ. Itaque existimare quis possit, codicem istum Græculi alicuius manu scriptum esse, qui & titulos Græcos addiderit. Nisi si potiùs iam tum Itali u Latinum in ou vertebant, quemadmodum hodieque cum Germanis faciunt: quem populariun morem secutus librarius, hanc pronuntiationem scripturâ quoque expressit, & pro auidus auidʋs nobis ingessit.

Interea Sors lecta Dei circumdata saccis
Vota facit.]

Sors lecta Dei à Poëta dicitur sacer Ordo, vel Clerus, id est Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi, ceteríque inferiorum graduum Cleri-

nulfi accepturum ; & beneficio eius possessurum Italiam, cui Arnulfus ex pacto fœdere dominaturus, quam sub ditione sua habiturus esset. Hinc Poëta dicit de Arnulfo

Te dominante viris antiquo fœdere iunctis.

quasi ex fœderis condicionibus dominus esset Arnulfus Langobardiæ ipsi subiectæ, & omnium in Langobardia sedes habentium, nimirum Francorum, Langobardorum, Italorum.

Germana Princeps metuendus & arbiter aulæ.] Arnulfus, qui ibidem à Berengario *Rex venerandus*; à Poëta *Rex verendus* vocatur. Ceterùm heic Poëta quem Liutprandus secutus est, vnam tantùm Arnulfi expeditionem Italicam, Bergomum Romámque ingressi commemorat: cùm ceteri duas referant, quarum priore Bergomum expugnatum sit, posteriore Roma: & Romanis ipsis portas patefacientibus vrbem Leonianam ab Arnulfo ac Berengario intratam; donáque ab ambobus Regibus in Basilica B. Petri super altare oblata esse, ac suasu Berengarij Arnulfum copias reduxisse in Germaniam solus dicit Poëta noster: nec Imperatorem Romæ appellatum factúmque eum ait, vt suprà monuimus.

Legirupis en Vuido tubis rediuiua resumit
Agmina, item vetitos cupiens peruadere campos.] *Legirupæ tubæ* dicuntur Poëtæ, quòd leges pacémque rumpant: sicut fœdifragus dictus à fœdere frangendo. *Item*, id est, iterum inua-

dit Wido partem regni Langobardiæ, quæ Berengarij erat. *Itidem* Poëta suprà dixit eodem sensu,

Nam si itidem Vuido victis spem ponit in armis.
Sauior ipse etiam Regni Pater hostibus arma
Molitur, tantos auidus finire labores.]

Ipse etiam Berengarius pater, tot bellis conatibúsque Vuidonis è miti sæuus trúxque redditus, copias cogit, hostique regni sui occurrere parat, conficiendi belli cupidus. Scriptum est in codice auidus. Nimirum Græci pro u Latino ου proferebant & scribebant: & nonnumquam o. Sic dicebant ἀδιοῦτα Δέους, pro adiuta Deus aut adiuua; τουρβέτις pro turbetis; σεκουάτουρ pro sequatur: Βουκελλάριοι, Δεπουτάτοι, Δοῦξ, Ἐξκούβιτον, κλεισοῦραι, κοντουβέρνιον, Κούρσωρες, Σεκοῦνδοι, Σκουτάτοι, Τριβοῦνοι, Χαρτουλάριοι, νοβίσκουμ. Itaque existimare quis possit, codicem istum Græculi alicuius manu scriptum esse, qui & titulos Græcos addiderit. Nisi si potiùs iam tum Itali u Latinum in ou vertebant, quemadmodum hodieque cum Germanis faciunt: quem popularium morem secutus librarius, hanc pronuntiationem scripturâ quoque expressit, & pro auidus auidous nobis ingessit.

Interea Sors lecta Dei circumdata saccis
Vota facit.]

Sors lecta Dei à Poëta dicitur sacer Ordo, vel Clerus, id est Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi, ceterique inferiorum graduum Cleri-

ci: κλῆρος enim sortem significat.

Da criminis auctor

Veloci pereat leto:]

Itáne & Christianis, atque adeò Clericis ipsis licet, hostibus suis eiusdem religionis & gentis mortem precari! *Criminis auctor* Vuido Aug. vocatur à Poëta Berengariano. Sanè Berengarius qui prior Rex Italiæ factus est, pro legitimo Principe; Vuido qui postea Regnum iam alteri delatum inuasit, pro tyranno & perduellionis reo habendus est. Hinc Vuido *Italiæ tyrannus* dicitur in Annalibus Fuldensibus & ab Hermanno, & *Prædo* à Poëta nostro in libro I.

En fraudis agit temptamina Prædo:

Et in libro III.

Da tempora nostro

Longa Duci: quando gemina fert laude coronam,

Virtutis merito, & generis qui stemmate pollet.]

Da diuturnam vitam Regi nostro Berengario, qui virtutis nobilitatisque caussâ Regnum est consecutus.

Mortis adesse diem cogit fera bella mouenti:

Sic tamen vt proprio componat lumina lecto.]

Mori Deus iubet Vuidonem qui bellum renouare cupiebat: sua nihilominùs morte naturalive defungi ac in proprio lecto eum voluit. *Leto* tamen malim. Eam enim mortem ἴδιον θάνατον Græci; Latini *propriam mortem* appellant. Iulius Firmicus in capite XIX. libri VIII. *propria morte*

perire hoc vocat: Paulus Diaconus in libro VIII. Appendicis ad Eutropium, & in libro II. de Gestis Langobardorum, & Aimoinus in capite XXXIV. libri II. Historiæ Francorum *propria morte defungi*.

Cùm vocat hic natum tanto pro funere mæstum.] Moriens Vuido Lambertum filium suum vocat, ipsius morbo ac morti propinquæ ingemiscentem & tristem.

Et ratione vales quacumque, adsciscere forti
Brengario. Hunc etenim fato meliore sequetur
Hesperia, & nostris etiam dominabitur aruis.] Quocumque modo cum Berengario pacem faciito, fœdus inito, ei adiungere, cum eo fœdus iunge, si in parte Italiæ regnare vis. Vir enim fortissimus est, & me mortuo partem Langobardiæ quæ nostrûm amborum fuit, occupabit, ad eúmque transibunt nostræ homines ditionis, nisi amicum ipsum habueris.

Et vitam pariter moriens & famina linquit.] Post Romam ergo ab Arnulfo captam (anno autem DCCCXCVI. capta est) póstque discessum eius ex Italia ac domumreditionem Vuidonem Aug. decessisse ait Poëta noster: quem Annales Fuldenses & Mettenses, Regino, & Hermannus anno DCCCXCIV. obiisse consentiunt. In Chronico Monasterij Acutiani falsò dicitur *Arnulfi adiutorio Berengarius Princeps Italicus praualens, Guidonem exstinxisse, & potenter Regnum accepisse:* quem Vuidonem naturali &

non præcipitata morte functum esse constat. De Vuidone heic pauca dicere conuenit. Apud Frodoardum in libri IV. historiarum Ecclesiæ Remensis capite I. Fulco Remorum Archiepiscopus in epistola ad Stephanum PP. VI. Hadriani III. successorem *pro Vuidone affine suo quem idem Papa in filium adoptauerat, memorat, tam se quàm ceteros consanguineos suos quibus id notificauerat, debitam exhibituros eidem Papæ reuerentiam: ad quæ ille respondens asserit, memoriam Vuidonis Ducis gratissimè se suscepisse, quem vnici loco filij se tenere fatetur.* In capite II. Papa Formosus Stephani successor ad Fulconem scribens, *Imperatorem Vuidonem coronatum eodem anno significat Indictione* X. Et in capite III. *Idem Fulco pro Imperatore Lamberto gratiarum refert actiones,* (Formoso PP.) *quòd notificauerit sibi, de ipso Lamberto patris se curam habere, filiíque carissimi loco eum diligere: asserens quòd non illum tantùm diligeret pro consanguinitatis necessitudine quâ illi deuinctus habebatur, verùm multo magis quia huius Papæ venerator & amator exsisteret. Precatur autem vt idem Carolus Rex eum prædicto Lamberto amicitiâ iungeretur.* Et infrà. *Idem verò Papa* (Formosus) *laudibus attollit eumdem,* (Fulconem) *congratulans eius dilectioni & sollicitudini quam gerebat erga Lambertum Imperatorem: de cuius fidelitate & stabilitate monet eum semper fieri sollicitum, veluti consanguinitatis propinquum.* In capite V. *Vui-*

donem Imperatorem exorat, (Fulco) *vt Regi suo Carolo* (Simplici) *suffragium impendat, & talis erga ipsum exsistat, qualem eum erga propinquum exsistere decet.* Quorsum ista? Dicet aliquis. Vt ostendam Imperatorem Vuidonem, qui Fulconis Remorum Archiepiscopi, nobilissimi viri Franci & Palatinis officiis sub tribus Francorum Regibus assueti *affinis*, Caroli quoque Francorum Regis cognomine Simplicis materno genere *propinquus* fuerit; & Lambertum Aug. Vuidonis filium qui *consanguinitatis necessitudine vel propinquitate* Fulconi *deuinctus* exstiterit, ambos haud dubiè natione Francos fuisse. Vnde & Liutprandus in libri I. capite VI. de Vuidone sic refert. *Traxerat sanè & à Francis quamdam affinitatis lineam*: hoc est, *affinis Francorum Regum* erat, vt suprà docuimus, ob idque Regnum Francorum affectauit. Certè Leo Marsicanus in libri I. Chronici capite LXIV. Vuidonem præter ceteros pro Franco habet, quum ait mortuo Lothario Rege Hugonis filio, *Italiæ Regnum à Francis ad Teutonicos* (nimirum ad Ottonem Saxonem) *translatum esse.* Et Erchempertus Leone multo vetustior patrem Widonis Vuidonem Ducem Spoletinorum facit, Francísque adnumerat. Quare Otto Frisingensis Episcopus & Gotfridus Viterbiensis Presbyter & Carolus Sigonius alíique falsò pro *Langobardis* aut *Italis* habuere Vuidonem, atque Lambertum cum Berengariis:

quum Otto & Gotfridus post Caroli Crassi obitum *Imperium à Francis ad Langobardos translatum* aiunt; & mortuo Carolo Crasso *Francos Reges Italici excepisse* à Sigonio dicuntur.

Vuido & Lambertus vel Lantbertus, Vuidonis ex Duce Imperatoris pater ille, hic frater, vt Italis placet, (Nam nostri aliter sentiunt) Ducatum Spoletinorum alter post alterum administrârunt, & ipsi per manus tradiderunt. Ex quo iudicari potest, saltem Lambertum fratrem Vuidonis nostri, Vuidonémque ipsum in Italia natos esse, ibíque habitauisse, cùm vtriusque pater apud Italos magistratum gesserit, ibidémque mortem obierit. Ortus tamen erat Vuido maioribus Francis Gallicanis, seu in Gallia sedem habentibus, & multos ibi amicos ac propinquos habebat non Proceres modò sed etiam Reges: in his Fulconem Remorum Archiepiscopum, & Carolum ipsummet Francorum Regem, qui Minor & Insipiens Simpléxve aut Stultus cognominatus est. Quamobrem *Gallos*, id est Francos Gallicanos, præsertim Araris, Rhodani, & Lemani lacûs accolas, missu fortè Rodulfi Magni Burgundiæ Regis contra Berengarium semper auxiliares habuit Vuido; & *patrias oras, patriámque tellurem* vocat Galliam in Panegyrico Berengarij: ipse *Gallicus heros*; *Dux Gallicus* & *Gallus*, id est Dux Francicus, & Francus è Gallia;

& *Rhodanicus ductor* à Poëta nostro nuncupatur. In libro I. de Vuidone aduersario suo déque Vuidonianis militibus Rex Berengarius ita loquitur :

Noxámque remitte cruoris ,
Si manus hæc mortis tulerit dispendia Gallis ,
Debita iure mihi raptum ire volentibus arua.

Ibidem de Vuidone Regnum Italiæ inuadente Poëta sic refert

En fraudis agit temtamina Pradó ,
Quà secuit quondam aërias Rex Pœnus aceto
Imperij cupidus cautes.

Alpibus autem Cottiis *Rex* vel potiùs Dux *Pœnorum* Hannibal transiit in Italiam, non (vt Plinius Ammianúsque & quidam alij putauere) Peninis iugis, aut vt Cornelius Nepos scribit, saltu Graio. Quare si eodem itinere contendit Vuido, Alpibus Cottiis Gallica auxilia in Italiam adduxit. Ibidem Vuido qui & *hospes inclytus Gallis* vocatur, de se dicit

Quantus in arma feror, patriis vel quãtus ab oris
Ausoniam subeo, liceat deferre Tyranno.

Cuique liceat nuntiare Regi Berengario, quantis cum viribus à patria mea Gallia Italiam peto. Item Berengarius Vuidonianis sic loquitur

Aut Italis Galli celeres abscedite terris.

In libro II. Poëta de Vuidone ex Gallia auxilia iterum arcessente

Sollicitet patriâ populos tellure quietos,

Fugerat hic Romana vafer sed culmina tandem,
Ne lepidos caperent siquidem sedata Tyrannos.]
Sed Vuido *tandem Romana* in *culmina fugerat*, seu in arcem S. Angeli sese contulerat, metuens ne pacatis motibus partium, Arnulfum & Berengarium Reges citra vim indefensa Roma reciperet.

Hi tamen accitis hostilia crimina pandunt
Signiferis.]
Hi tamen ambo Reges, Arnulfus & Berengarius Primores exercitûs ac signiferos conuocatos edocent, quid Vuido hostis fecerit, quídque mereatur: Sergij Antipapæ Vuidoni fauentis, Sergianorúmque aduersus Formosum Episcopum Rom. iniurias exponunt, ac *clausas portas insistere* id est oppugnare eos iubent.

Vi saltem reserantis adire vt limina cælum
Principis Ecclesiæ liceat.]
Vt saltem sibi liceat vi adire limina Ecclesiæ Principis reserantis cælum, seu limina Basilicæ Sancti Petri Apostolorum Principis, cui Christus claues cæli commisit: id est vt saltem vrbem Leonianam vel Romam Leonianam heptapylon, quæ Burgus S. Petri dicitur, per vim intrare possent, ibi in Basilica B. Petri & ad sepulcrum eius vota facturi, ac promissa dona oblaturi.

Talibus imperiis, talíque hortamine Regum
Induuias rapiunt cuncti Mauortis anheli.]
Iussis & allocutione Arnulfi ac Berengarij Regum accensi milites, cuncti arma capiunt, quæ

Poëta *Mauortis induuias* appellat, quòd his pugnaturi induantur.

Iam quia parta sibi speculantur nigra Quirites,
Vndique diffutis referant penetralibus Vrbem;
Admittúntq; Duces veneranda ad delubra mites.]

Romani, cùm viderent aduersa sibi imminere muris vndique effractis & deiectis, portas vrbis Leonianæ patefaciunt, & ambos Reges in B. Petri Basilicam introducunt. *Parta* Poëta dixit pro parata, impendentia. Sic in libro I.

Manus capulo sit parta.

Et in libro IV.

Forte aliqua partos valeat si rumpere nodos.]

Quo in versu tamen forsitan legendum est potiùs *artos:* ita vt synalœpha non fiat, siue præcedentis vocalis elisio.

Ardet inexpletum Ductor proferre furorem
Barbarus: infrenes animos sic ira fatigat.]

Ductor Barbarus, id est Arnulfus Dux Barbarorum seu Germanorum, iratus post vota in Basilica B. Petri soluta vult totâ Româ potiri; vult & cupit Vuidonem vsque ad internecionem persequi & capere. Vnde subiicit

At Ductor Latij socium sine more tyrannum
Vt videt ingruere.]

Id est, postquàm Berengarius Rex Italiæ socium suum Regem Arnulfum vidit nimis imminere Vuidoni. Et infrà de Arnulfo.

Mitior his dictis patitur repedare volentes &c.
Quid faciat, quò se vertat, quæ mœnia visat

Ignorat rationis inops. Nam summa tenebat,
Spes vbi pestiferis restabat postera Gallis.]
Heic Poëta non de R. Arnulfo loquitur, sed de Vuidone Augusto nesciente quò se verteret, aut quæ in opida quásve in regiones sese conferret, imminentibus sibi Arnulfo & Berengario. Tum autem Vuido altissimo munimento vel arce Sancti Angeli suam suorúmque Tuscorum & Gallorum salutem tuebatur, vt docent hæc verba,

Nam summa tenebat,
Spes vbi pestiferis restabat postera Gallis.
Idem suprà de Vuidone dixerat.
Ne summa forsan quia mansit in aula,
Haud latuisse queat Gallus se dicere.
Spes postera dicta est à Poëta pro postrema, suprema.

Desine Rex venerande: satis virtute peractum.
Nec decet vlteriùs socios deducere Rhenos.]
Berengarius Arnulfum alloquitur, & satis viribus actum esse ait, nec opus esse Germanos socios suos vlteriùs ab eo duci. Rhenos iam suprà pro Germanis dixit.

Nam si itidem Vuido victis spem ponit in armis,
Adueniat tumidus dextrâ hac sine, posco, domandus:
Te dominante viris antiquo fœdere iunctis.]
Nam si Vuido iterùm arma resumit, *sine: posco tumidus adueniat, hac meâ dextrâ domandus.* Hoc est, patere, fer eum insanire: opto vt ar-

matus mihi occurrat. Viribus meis haud dubiè superabitur: dextrâ meâ prosternetur; nec vllis ad id auxiliis egeo.

Te dominante viris antiquo fœdere iunctis.] Anno regni I. Christi DCCCLXXXVIII. Berengarius pacem cum Arnulfo fecerat, vt Annales Fuldenses & Chronicon Hermanni docent: iterum sequente anno ante posteriorem cum Vuidone pugnam, artius fœdus, societatémque belli cum eodem Arnulfo iunxerat, vt Poëta noster suprà testatur his verbis;

Rheni licitum nec fœdera paucis
Effari.

ita vt *antiquum fœdus* dici potuerit à Poëta, quod ante annos IX. initum, ante VIII. confirmatum erat. Liutprandus in capite VII. libri I. bis renouati postea huius fœderis meminit, primùm ante Zuuentibaldi aduentum in Italiam, secundò priùsquàm Arnulfus ipse intraret Italiam. Scribit autem à Vuidone bis victum Berengarium, promisisse Arnulfo potentissimo Regi, *se suósque eius potentiæ seruituros, si ipsius auxilio Vuidonem superaret, Regnúmque Italicum sibi vindicaret:* & eumdem cum Zuuentibaldo domum reuertente Arnulfum adiisse, *pollicitúmque esse, si ipsum adiuuisset, se totam Italiam (vt antè promiserat) ditioni eius subiecturum:* hoc est, se & suos *milites*, aut (vt vulgari vtar verbo) *homines* Arnulfi futuros; se Langobardiæ Regnum de manu Ar-

nulfi acccepturum, & beneficio eius possessurum Italiam, cui Arnulfus ex pacto fœdere dominaturus, quam sub ditione sua habiturus esset. Hinc Poëta dicit de Arnulfo

Te dominante viris antiquo fœdere iunctis.

quasi ex fœderis condicionibus dominus esset Arnulfus Langobardiæ ipsi subiectæ, & omnium in Langobardia sedes habentium, nimirum Francorum, Langobardorum, Italorum.

Germana Princeps metuendus & arbiter aulæ.] Arnulfus, qui ibidem à Berengario *Rex venerandus*; à Poëta *Rex verendus* vocatur. Ceterùm heic Poëta quem Liutprandus secutus est, vnam tantùm Arnulfi expeditionem Italicam, Bergomum Romámque ingressi commemorat: cùm ceteri duas referant, quarum priore Bergomum expugnatum sit, posteriore Roma: & Romanis ipsis portas patefacientibus vrbem Leonianam ab Arnulfo ac Berengario intratam, donáque ab ambobus Regibus in Basilica B. Petri super altare oblata esse, ac suasu Berengarij Arnulfum copias reduxisse in Germaniam solus dicit Poëta noster: nec Imperatorem Romæ appellatum factúmque eum ait, vt suprà monuimus.

Legirupis en Vuido tubis rediuiua resumit
Agmina, item vetitos cupiens peruadere campos.] *Legirupæ tubæ* dicuntur Poëtæ, quòd leges pacémque rumpant: sicut fœdifragus dictus à fœdere frangendo. *Item*, id est, iterum inua-

dit Wido partem regni Langobardiæ, quæ Berengarij erat. *Itidem* Poëta suprà dixit eodem sensu,

Nam si itidem Vuido victis spem ponit in armis.
Sauior ipse etiam Regni Pater hostibus arma
Molitur, tantos auidus finire labores.]

Ipse etiam Berengarius pater, tot bellis conatibúsque Vuidonis è miti sæuus trúxque redditus, copias cogit, hostíque regni sui occurrere parat, conficiendi belli cupidus. Scriptum est in codice auidȣs. Nimirum Græci pro u Latino ȣ proferebant & scribebant:& nonnumquam o. Sic dicebant ἀδιȣ̃τα Δέȣς, pro adiuta Deus aut adiuua; τȣρϐέτις pro turbetis; σεκȣάτȣρ pro sequatur: Βȣκελλάριοι, Δεπȣτάτοι, Δȣ̀ξ, Εξκȣ́ϐιτον, κλεισȣ̃ραι, κοντȣϐέρνιον, Κȣ́ρσωρες, Σεκȣ̃νδοι, Σκȣτάτοι, Τριϐȣ̃νοι, Χαρτȣλάριοι, νοϐίσιμȣμ. Itaque existimare quis possit, codicem istum Græculi alicuius manu scriptum esse, qui & titulos Græcos addiderit. Nisi si potiùs iam tum Itali u Latinum in ou vertebant, quemadmodum hodieque cum Germanis faciunt: quem popularium morem secutus librarius, hanc pronũtiationem scripturâ quoque expressit, & pro auidus auidȣs nobis ingessit.

Interea Sors lecta Dei circumdata saccis
Vota facit.]

Sors lecta Dei à Poëta dicitur sacer Ordo, vel Clerus, id est Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi, ceteríque inferiorum graduum Cleri-

ci: κλῆρος enim sortem significat.

Da criminis auctor

Veloci pereat leto:]

Itáne & Christianis, atque adeò Clericis ipsis licet, hostibus suis eiusdem religionis & gentis mortem precari! *Criminis auctor* Vuido Aug. vocatur à Poëta Berengariano. Sanè Berengarius qui prior Rex Italiæ factus est, pro legitimo Principe; Vuido qui postea Regnum iam alteri delatum inuasit, pro tyranno & perduellionis reo habendus est. Hinc Vuido *Italiæ tyrannus* dicitur in Annalibus Fuldensibus & ab Hermanno, & *Prædo* à Poëta nostro in libro I.

En fraudis agit temptamina Prædo:

Et in libro III.

Da tempora nostro

Longa Duci: quando geminá fert laude coronam,

Virtutis merito, & generis qui stemmate pollet.]

Da diuturnam vitam Regi nostro Berengario, qui virtutis nobilitatísque caussâ Regnum est consecutus.

Mortis adesse diem cogit fera bella mouenti:

Sic tamen vt proprio componat lumina lecto.]

Mori Deus iubet Vuidonem qui bellum renouare cupiebat: sua nihilominùs morte naturalíve defungi ac in proprio lecto eum voluit. *Leto* tamen malim. Eam enim mortem ἴδιον θάνατον Græci; Latini *propriam mortem* appellant. Iulius Firmicus in capite XIX. libri VIII. *propria morte*

perire hoc vocat: Paulus Diaconus in libro VIII. Appendicis ad Eutropium, & in libro II. de Gestis Langobardorum, & Aimoinus in capite XXXIV. libri II. Historiæ Francorum *propria morte defungi.*

Cùm vocat hic natum tanto pro funere mæstum.] Moriens Vuido Lambertum filium suum vocat, ipsius morbo ac morti propinquæ ingemiscentem & tristem.

Et ratione vales quacumque, adsciscere forti Brengario. Hunc etenim fato meliore sequetur Hesperia, & nostris etiam dominabitur aruis.] Quocumque modo cum Berengario pacem facito, fœdus inito, ei adiungere, cum eo fœdus iunge, si in parte Italiæ regnare vis. Vir enim fortissimus est, & me mortuo partem Langobardiæ quæ nostrûm amborum fuit, occupabit, ad eúmque transibunt nostræ hominès ditionis, nisi amicum ipsum habueris.

Et vitam pariter moriens & famina linquit.] Post Romam ergo ab Arnulfo captam (anno autem DCCCXCVI. capta est) póstque discessum eius ex Italia ac domumreditionem Vuidonem Aug. decessisse ait Poëta noster: quem Annales Fuldenses & Mettenses, Regino, & Hermannus anno DCCCXCIV. obiisse consentiunt. In Chronico Monasterij Acutiani falsò dicitur *Arnulfi adiutorio Berengarius Princeps Italicus praualens, Guidonem exstinxisse, & potenter Regnum accepisse:* quem Vuidonem naturali &

non præcipitata morte functum esse constat. De Vuidone heic pauca dicere conuenit. Apud Frodoardum in libri IV. historiarum Ecclesiæ Remensis capite I. Fulco Remorum Archiepiscopus in epistola ad Stephanum PP. VI. Hadriani III. successorem *pro Vuidone affine suo quem idem Papa in filium adoptauerat, memorat, tam se quàm ceteros consanguineos suos quibus id notificauerat, debitam exhibituros eidem Papæ reuerentiam: ad quæ ille respondens asserit, memoriam Vuidonis Ducis gratissimè se suscepisse, quem vnici loco filij se tenere fatetur.* In capite II. Papa Formosus Stephani successor ad Fulconem scribens, *Imperatorem Vuidonem coronatum eodem anno significat Indictione* x. Et in capite III. *Idem Fulco pro Imperatore Lamberto gratiarum refert actiones,* (Formoso PP.) *quòd notificauerit sibi, de ipso Lamberto patris se curam habere, filiique carissimi loco eum diligere: asserens quòd non illum tantùm diligeret pro consanguinitatis necessitudine quâ illi deuinctus habebatur, verùm multo magis quia huius Papæ venerator & amator exsisteret. Precatur autem vt idem Carolus Rex eum prædicto Lamberto amicitiâ iungeretur.* Et infrà. *Idem verò Papa* (Formosus) *laudibus attollit eumdem,* (Fulconem) *congratulans eius dilectioni & sollicitudini quam gerebat ergà Lambertum Imperatorem: de cuius fidelitate & stabilitate monet eum semper fieri sollicitum, veluti consanguinitatis propinquum.* In capite V. *Vui-*

donem Imperatorem exorat, (Fulco) *vt Regi suo Carolo* (Simplici) *suffragium impendat, & talis erga ipsum exsistat, qualem eum erga propinquum exsistere decet.* Quorsum ista? Dicet aliquis. Vt ostendam Imperatorem Vuidonem, qui Fulconis Remorum Archiepiscopi, nobilissimi viri Franci & Palatinis officiis sub tribus Francorum Regibus assueti *affinis*, Caroli quoque Francorum Regis cognomine Simplicis materno genere *propinquus* fuerit; & Lambertum Aug. Vuidonis filium qui *consanguinitatis necessitudine vel propinquitate* Fulconi *deuinctus* exstiterit, ambos haud dubiè natione Francos fuisse. Vnde & Liutprandus in libri I. capite VI. de Vuidone sic refert. *Traxerat sanè & à Francis quamdam affinitatis lineam*: hoc est, *affinis Francorum Regum* erat, vt suprà docuimus, ob ídque Regnum Francorum affectauit. Certè Leo Marsicanus in libri I. Chronici capite LXIV. Vuidonem præter ceteros pro Franco habet, quum ait mortuo Lothario Rege Hugonis filio, *Italiæ Regnum à Francis ad Teutonicos* (nimirum ad Ottonem Saxonem) *translatum esse.* Et Erchempertus Leone multo vetustior patrem Widonis Vuidonem Ducem Spoletinorum facit, Francísque adnumerat. Quare Otto Frisingensis Episcopus & Gotfridus Viterbiensis Presbyter & Carolus Sigonius alíique falsò pro *Langobardis* aut *Italis* habuere Vuidonem, atque Lambertum cum Berengariis:

quum Otto & Gotfridus post Caroli Crassi obitum *Imperium à Francis ad Langobardos translatum* aiunt ; & mortuo Carolo Crasso *Francos Reges Italici excepisse* à Sigonio dicuntur.

Vuido & Lambertus vel Lantbertus, Vuidonis ex Duce Imperatoris pater ille, hic frater, vt Italis placet, (Nam nostri aliter sentiunt) Ducatum Spoletinorum alter post alterum administrârunt, & ipsi per manus tradiderunt. Ex quo iudicari potest, saltem Lambertum fratrem Vuidonis nostri, Vuidonémque ipsum in Italia natos esse, ibíque habitauisse, cùm vtriusque pater apud Italos magistratum gesserit, ibidémque mortem obierit. Ortus tamen erat Vuido maioribus Francis Gallicanis, seu in Gallia sedem habentibus, & multos ibi amicos ac propinquos habebat non Proceres modò sed etiam Reges: in his Fulconem Remorum Archiepiscopum, & Carolum ipsummet Francorum Regem, qui Minor & Insipiens Simpléxve aut Stultus cognominatus est. Quamobrem *Gallos*, id est Francos Gallicanos, præsertim Araris, Rhodani, & Lemani lacûs accolas, missu fortè Rodulfi Magni Burgundiæ Regis contra Berengarium semper auxiliares habuit Vuido; & *patrias oras, patriámque tellurem* vocat Galliam in Panegyrico Berengarij: ipse *Gallicus heros*; *Dux Gallicus* & *Gallus*, id est Dux Francicus, & Francus è Gallia;

& *Rhodanicus ductor* à Poëta nostro nuncupatur. In libro 1. de Vuidone aduersario suo déque Vuidonianis militibus Rex Berengarius ita loquitur:

Noxámque remitte cruoris,
Si manus hæc mortis tulerit dispendia Gallis,
Debita iure mihi raptum ire volentibus arua.

Ibidem de Vuidone Regnum Italiæ inuadente Poëta sic refert

En fraudis agit temtamina Pradò,
Quà secuit quondam aërias Rex Pœnus aceto
Imperij cupidus cautes.

Alpibus autem Cottiis *Rex* vel potiùs Dux *Pœnorum* Hannibal transiit in Italiam, non (vt Plinius Ammianúsque & quidam alij putauere) Peninis iugis, aut vt Cornelius Nepos scribit, saltu Graio. Quare si eodem itinere contendit Vuido, Alpibus Cottiis Gallica auxilia in Italiam adduxit. Ibidem Vuido qui & *hospes inclytus Gallis* vocatur, de se dicit

Quantus in arma feror, patriis vel quātus ab oris
Ausoniam subeo, liceat deferre Tyranno.

Cuique liceat nuntiare Regi Berengario, quantis cum viribus à patria mea Gallia Italiam peto. Item Berengarius Vuidonianis sic loquitur

Aut Italis Galli celeres abscedite terris.

In libro 11. Poëta de Vuidone ex Gallia auxilia iterum arcessente

Sollicitet patriâ populos tellure quietos,

item de eodem

Prior arma rapit iam Gallicus Heros,
Aërios Ducibus montes superantibus auctus.

Gallicus Heros Vuido est, qui & infrà *Rhodanicus Ductor.*

Nî Rhodanicus succurrere Ductor
Admonitus.

In libro III.

Rex vbi Brengarius audentes ardua Gallos
Insequitur bellis.

Gallos, id est Vuidonianos. Ibidem Vuido *Dux Gallicus* dicitur.

Interea loca tuta petit Dux Gallicus.

Et Arnulfus Araris accolas qui Vuidonem sequebantur, ait se debellaturum.

Mœnia scindam
Ausoniæ, & totos Araris vacuabo furores.

Idem post filij sui ex Italia discessum Vuidone renouante bellum, succurrendum sibi esse Berengario ait, à Gallis Rhodanicis Lemanicísque vexato.

Namque iuuat Latio clarum me visere amicum,
Quē totiens Rhodanus vexat properante Lemano
Milite.

Vuido item *Gallus* nuncupatur.

Haud latuisse queat Gallus se dicere.

Et qui ei auxilium ferebant, quibúsque agros in Italia dederat, Galli appellantur à Poëta.

Spes vbi pestiferis restabat postera Gallis.

Berengarij quoque clementiam laudat Poëta, Gallos quos Vuido Aug. in Italiam acciuerat,

poſt eius obitum ad ſe tranſeuntes recipientis, nec quidquam Camerinis Spoletiniſque idem facientibus exprobrantis.

Nec Gallos abicit, nec crimina ponit Etruſcis. Ceterùm patrem Vuidonis noſtri Vuidonem, Lambertum fratrem ab Italis haberi ſuprà dixi, propterea quòd Erchempertus Monachus Caſſinenſis, æqualis Vuidonis, in Hiſtoria Langobardorum Beneuenti dominantium, Vuidonem noſtrum nunc *Guidonem germanum Lamberti Ducis Spoletinorum*; nunc *Guidonem filium Guidonis ſenioris*, (quem Ducem Spoletinorum circa initia principatus Ludouici minoris Augusti fuiſſe ſcribit) & *Guidonem iuniorem* appellat: ac *Lambertum filium Guidonis ſenioris*, morientem *filio ſuo Spoletium reliquiſſe* ait, *quo etiam defuncto, Guido iunior Spoletium & Camerinum receperit*; ſiue Dux Spoletinorum & Camertium factus ſit. Similiter Leo Marſicanus Monachus & ipſe Caſſinenſis in capite ſuprà laudato Vuidonem noſtrum, *Guidonem Guidonis Comitis filium* nuncupauit. Ex quibus apparet, Vuidonem noſtrum, Vuidonis Spoletini Ducis filium, non nepotem; Lamberti Spoletinorum Ducis fratrem natuminorem, non filium fuiſſe: & Vuidoni quidem ſeniori Lambertum filium maioremnatu in Ducatum Spoletinum ſucceſſiſſe; Lamberto filium incerti nominis, quem forſitan *Vuidonem Comitis Lamberti filium* Iohannes PP. VIII. in epiſtola ad

Carolum Craſſum R. data Indictione xiii. vocat: filio iſto Lamberti paullo pòſt mortuo; Vuidonem Ducatum Spoletinorum vel Tuſcorum obtinuiſſe. Falsò igitur cum Annalibus Fuldenſibus & Mettenſibus Regino, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Sigonius, ac ceteri recentiores Vuidonem noſtrum ſeu iuniorem; pro fratre *filium Lamberti* fuiſſe ſcripſerunt: quem *Lambertum Spoletinum Ducem, Vuidonis quondam Spoletini Ducis filium* Iohannes Papa VIII. in epiſtolis,& *Glorioſum Comitem* & *Spoletinum Comitem* & *Ducem* promiſcuè appellat. Erchempertum quidem omnibus noſtris Hiſtoricis & Chronologis, quantum ad Vuidonem attinet, vel vnum facilè antepono: & homini Beneuentano, diligenti ſcriptori de Principe Italiæ filiam & ſororem Beneuentanorum Ducum in matrimonio habente, quem ipſe vidit, & cuius in priore cum Berengario pugna deſiit, multo magis quàm externis auctoribus ætate aut patria remotioribus credendum iudico. Et de Vuidone hactenus.

Pars quoque magna virûm properant Vuidone ſepulto
Orantes veniam Latij ductoris ad aulam.]
Vuidone mortuo, multi qui eum ſecuti erant, ad Berengarium Regem Italiæ *Ductorem Latij* Poëtæ dictum, ſe conferunt, veniámque ab eo petunt ac impetrant. Vnde & Panegyriſtes Lam-

Lambertum mæstum fuisse ait:

Morte patris, simul ac notis abeuntibus armis.

Erant autem qui post Vuidonis obitum ad Berengarium transierunt, pars Franci è Gallia, pars Camerini ac Spoletini: quorum alteros *Gallos*, alteros *Etruscos* & *Tyrrhenos* Poëta more suo appellat, & humanissimè à Berengario exceptos esse affirmat his versibus:

Dux interea venerabilis æuo
Fert pietatis opem venientibus vltro maniplis:
Nec Gallos abicit, nec crimina ponit Etruscis.

Sed anno DCCCXCIV. quo Imperator Vuido decessit, Berengarius senex & *æuo venerabilis* esse vix potuit, cùm annis ampliùs XXX. superuixerit, diutiùs victurus si per Flambertum proditorésque licuisset. Anno enim DCCCCXXIV. aut vt aliis placet XXV. est interfectus. Transibant porrò ad Berengarium Vuidoniani, quòd Lamberti Vuidonis filij pueritiam maternæ tutelæ subiectam, & muliebria imperia contemnebant. Tum enim Lambertus *iuuenis* & *ephebus* fuisse, Poëtæ nostro & Liutprando dicitur.

Dum Vuidone satū inualido comitante Ministro
Deficiunt.]

Hoc est Vuidonis filium deserunt, qui à matre regebatur, cuius mater Regnum administrabat. Scriptum tamen puto esse in codice, *Despiciunt.* Vuidonis Aug. vxor, Lamberti Aug. mater erat Ageltrudis Aug. quam Hermannus Contractus & quidam alij *Angildrudam* vo-

cant; & quam Poëta noster ob sexum *inualidi Ministri* nomine designat. Certè *anno* DCCCXCIV. *Vuidone Italiæ tyranno mortuo, Angiltruda vidua eius cum filio Lamperto tyrannidem inuasit*, vti ait Hermannus à Canisio editus. Ageltrudis autem ista, Vuidonis coniux, Ducum Beneuentanorum Adelgisi filia, Radelchisi soror fuit, & Beneuentanum Principatum mensibus xx. Augusta obtinuit.

At recolens præcepta patris, iubet ire sodalem,
Qui pacem petat, ac Regem summissus adoret.]

Lambertus memor supremorum patris mandatorum, legatum vnum è sodalibus suis ad Regem Berengarium misit, pacem amicitiámque petitum: quo benignè excepto ac dimisso, Berengarius & Lambertus in vrbe Regia Ticino collocuti, pacem inter se fecere, quæ vsque ad Lamberti mortem durauit. Quo mortuo, Berengarius toto Langobardiæ Regno IV. per annos potitur: quemadmodum Panegyrista noster canit. Ex quibus intelligitur Lambertum in parte Regni Langobardici quæ patris sui fuerat, regnauisse. At Liutprandus in capite x. libri I. scribit, mortuo Vuidone Berengarium statim Ticinum Regiam occupauisse, verùm ab Optimatibus qui Vuidoni fauerant ac fideles fuerant, Berengariúmque metuebant, Lantbertum Vuidonis filium Regem esse constitutum, ad eúmque populum confluxisse. Berengarium igitur desertum à plerisque, Lantber-

to iuueni cum magno exercitu Ticinum petenti occurrere ausum non esse, Veronámque sese contulisse: quem paullo pòst Proceres Lantberto ob seueritatem infesti per nuntios rogauerint vt ad se veniret, & Lantbertum expelleret.

Militiaque etiam, Mauors si quando ministrum Bella ciet.]

Etiam ministrum militiæ, si quando Mauors bella ciet: quibus verbis Lambertus non pacem modò & amicitiam suam, sed etiam belli societatem offerebat Berengario.

Prætendit solitò verùm pia viscera cunctis.]

Solitò, more solito, more suo, prò sua clementia. Sic matutino veteres dixere, vt Plinius aliíque, pro matutino tempore vel mane.

Ipse pater mitis sic pectore reddit.]

Pater mitis, Berengarius.

Æqua referre malis nimiùm sacra iura recusant.]

Mala malis referre sacri libri, & Dominica mandata nos vetant. Paulus Apostolus in epistolæ prioris ad Thessalonicenses capite v. versu xv. *Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat:* & in epistolæ ad Romanos capite xi. *Nulli malum pro malo reddentes.*

Namq; poli sensum demissum traximus arce, &c.

Hos v. versus Poëta mutuatus est à Iuuenale, duobus verbis in primo versu mutatis. Sic enim Iuuenalis in sat. xv. scribit,

Sensum à cælesti demissum traximus arce, &c.

Nec genitus gignentis habet pro crimine noxam:
Veridico cecinit quondam velut ore Propheta.] *Filius non portabit iniquitatem patris*, inquit Ezechiel Propheta in capitis XVIII. versu XX. Sic ergo ait Berengarius: Deus à filiis paternorum scelerum pœnas expetere non solet: quem nos imitari debemus: & vt ille filio patris delictum non imputat; ita ego Lambertum propter ipsius patris tyrannidem & iniqua aduersus me bella non odi; non persequar insontem.

Hac ratione, fidê violet ne iura proteruus.] In colloquium veniat inuitatus, mecum pacem facturus, ac amicus meus futurus, ea condicione ac lege, ne fidem postea violet. *fidê iura* pro fidei dixit Poëta, vt *horas diê* Virgilius I. Georg. *fidê pignus* Ouidius in VI. Metam. *commissa fidê* Horatius.

Percipit hæc hilaris postquàm iuuenilis alumnus.] Postquàm hanc Berengarij orationem audiit legatus Lamberti, qui *sodalis* Lamberti suprà dicitur à Poëta, & *nuntius Lamberticus* seu Lamberti.

Procidit, & supplex Regi veneratur amorem,
Quo tellus, pelagus seruant atque astra tenorem:
Ne pontus &c.] Regem Berengarium procidens adorat, vel summissus salutat & veneratur, gratiásque ei agit ob promissam Lamberto domino suo pacem & amicitiam: quâ vnâ concordiâ elementa seruantur, & Oceanus terram inundare,

stellæ aquis immergi, hoc est omnia sursque déque verti prohibentur.

Hinc remeans, iuueni defert sua nuntia voti.] Legatus Lamberti ad dominum suum reuertitur, & iuueni Regi nuntium votis eius respondentem affert.

Tandem Rex optimus atque
Lambertus properant, vbi fertilis vnda Ticini
Alluit egregiam fluuij cognomine dictam
Vrbem, in qua soliti Regem spectare Latini.] Tandem *Rex optimus* seu Berengarius & Lambertus Ticinum veniunt, à Ticino flumine cognominatum: quæ egregia vrbs, sedes Regum Langobardorum seu Italorum iam inde ab Clepo Alboini successore esse cœperat anno DLXXIV.

Mutua verba serunt, postquàm promittit vterq;
Mansurum fœdus, roseis dum vecta quadrigis
Fluctibus Oceani perfunditur orbita Phœbi.] Post pacem inter se factam, ambo Reges varios sermones habuere, variis de rebus sunt collocuti. Posset legi &: *post qua* pro *postquàm*. *Mansurum fœdus, dum orbita Phœbi*, id est Sol *Oceano perfunditur*, significat *pacem perpetuam*, qualem Agilulfus Rex Langobardorum & cum Theuderico iuniore Rege Francorum, & cum Cagano Rege Auarum, & cum Theudeberto minore Rege Francorum Austrasiorum Theuderici fratre fecisse dicitur à Paullo in libro IV. de Gestis Langobardorum: & qualem Iustinia-

nus Aug. anno imperij v I. cum Chosroë Rege Persarum firmauit, quam ἀπέραντον εἰρήνην hoc est interminatam pacem vocauere Græci, vt scribit Procopius in libro I. Persicorum.

O iuuenale decus, si mens non laua fuisset.] Decorum fuisse Lambertum docet & Liutprandus in capite x. libri I. quum eum *elegantem iuuenem* vocat, *adhuc ephebum*. Idem seuerum eum & constantem, ac ingenio callentem appellat, & in capite x I I. ac vltimo libri I. de eius virtutibus ac venustate ita refert. *Inerat illi honesta morum probitas, sancta & formidolosa seueritas* (id est formidanda) *& quem iuuentus ornauerat in corpore splendida, mentis canities decorabat sancta.* Et tamen Poëta noster ait sæpe eum fraudibus ac dolis pacem cum Berengario factam turbare ac rumpere tentasse, nisi Berengarius iuuenis artibus ac dolis occurrisset.

Sæpe datas voluit pacis rescindere dextras
Fraudibus inuentis. Sed enim ratione sagaci
Deprendis Pater alme dolos, ac murmura temnis.
Tertia mox tamen hunc Latio produxerat æstas
Vbere telluris potientem pace sequestra.]

Tres tamen annos feliciter in Italia regnauit Lambertus, Principatúsque eius fertilitate terræ, & pace memorabilis ac fortunatus fuit.

Ipse vno comitante ministro
Dum sternacis equi foderet calcaribus armos,
Implicitus cecidit sibimet sub pectore collum.

Abrumpens teneram colliso gutture vitam.] Lambertus dum in luco Marinco venatur, vno comite nimirum Hugone filio Maginfredi Mediolanensium Comitis, à sternaci effreníque equo excussus *cecidit, sibimet implicitus collum sub pectore*, id est implicito collo sub pectore, guttúrque collisit. *Aiunt hunc Regem, dum apros effreni consectaretur equo, cecidisse, collúmque fregisse*, vt ait Liutprandus in capite vltimo libri I. Addit tamen idem auctor, ab Hugone isto mortem patris sui vlciscente, ligno non modico collum Lamberto dormienti fractum esse.

Vlterius nec lingua valet, nec verba sequuntur.] Hic versus si bene memini, Virgilianus est.

Haud segnes socij crates & molle feretrum &c.] Hi VIII. versus sunt Virgilij in libro XI. Æneidos de Pallante iuuene Euandri Regis Arcadici filio: quos Poëta noster Lamberto Aug. formoso iuueni conuenire posse existimauit.

Dignior hic genitore foret, compluribus ille
Vixerit, ac Latium quamuis turbauerit annis.] Laudat heic Poëta Lambertum vel inuitus, & Vuidoni eum patri præferendum fuisse ait, si diutiùs vixisset. Vuido autem annis VI. regnauit in Italia; Lambertus post eius obitum solo triennio.

Vndique tota cohors Regni concurrit in vnum
Vociferans. Pie Rex nostri miserere laboris,
Ne geminis posthac cogamur adesse Tyrannis:

nus Aug. anno imperij v I. cum Chosroë Rege Persarum firmauit, quam ἀπέραντον εἰρήνην hoc est interminatam pacem vocauere Græci, vt scribit Procopius in libro I. Persicorum.

O iuuenale decus, si mens non laua fuisset.] Decorum fuisse Lambertum docet & Liutprandus in capite x. libri I. quum eum *elegantem iuuenem* vocat, *adhuc ephebum*. Idem seuerum eum & constantem, ac ingenio callentem appellat, & in capite x I I. ac vltimo libri I. de eius virtutibus ac venustate ita refert. *Inerat illi honesta morum probitas, sancta & formidolosa seueritas* (id est formidanda) *& quem iuuentus ornauerat in corpore splendida, mentis canities decorabat sancta.* Et tamen Poëta noster ait sæpe eum fraudibus ac dolis pacem cum Berengario factam turbare ac rumpere tentâsse, nisi Berengarius iuuenis artibus ac dolis occurrisset.

Sæpe datas voluit pacis rescindere dextras
Fraudibus iuuentis. Sedenim ratione sagaci
Deprendis Pater alme dolos, ac murmura temnis.
Tertia mox tamen hunc Latio produxerat æstas
Vbere telluris potientem pace sequestra.]

Tres tamen annos feliciter in Italia regnauit Lambertus, Principatúsque eius fertilitate terræ, & pace memorabilis ac fortunatus fuit.

Ipse vno comitante ministro
Dum sternacis equi foderet calcaribus armos,
Implicitus cecidit sibimet sub pectore collum,

Abrumpens teneram colliso gutture vitam.] Lambertus dum in luco Marinco venatur, vno comite nimirum Hugone filio Maginfredi Mediolanensium Comitis, à sternaci effreníque equo excussus *cecidit, sibimet implicitus collum sub pectore*, id est implicito collo sub pectore, gutturque collisit. *Aiunt hunc Regem, dum apros effreni consectaretur equo, cecidisse, collúmque fregisse*, vt ait Liutprandus in capite vltimo libri I. Addit tamen idem auctor, ab Hugone isto mortem patris sui vlciscente, ligno non modico collum Lamberto dormienti fractum esse.

Vlterius nec lingua valet, nec verba sequuntur.] Hic versus si bene memini, Virgilianus est.

Haud segnes socij crates & molle feretrum &c.] Hi VIII. versus sunt Virgilij in libro XI. Æneidos de Pallante iuuene Euandri Regis Arcadici filio: quos Poëta noster Lamberto Aug. formoso iuueni conuenire posse existimauit.

Dignior hic genitore foret, compluribus ille
Vixerit, ac Latium quamuis turbauerit annis.] Laudat heic Poëta Lambertum vel inuitus, & Vuidoni eum patri præferendum fuisse ait, si diutiùs vixisset. Vuido autem annis VI. regnauit in Italia; Lambertus post eius obitum solo triennio.

Vndique tota cohors Regni concurrit in vnum
Vociferans. Pie Rex nostri miserere laboris,
Ne geminis posthac cogamur adesse Tyrannis:

Cùm solus placeas rebus superesse Latinis.] Vndique Regni Proceres vnum in locum conueniunt, atque ad Berengarium confluunt, eúmque orant vt ex sua omnium sententia solus deinceps regnet in Italia, ne sicut antè erat factum, duobus simul Regibus magno suo cum periculo parere cogerentur. At vt ait Liutprandus in libri I. capite X. *Semper Italienses geminis vti dominis volunt; quatenus alterum alterius terrore coërceant*: quæ verba auctor Chronici Monasterij Acutiani transscripsit. Et Italiæ Optimates qui Berengarium post Lamberti mortem sic apud Panegyristam nostrum alloquuntur; iidem non Vuidonem modò ac postea Lambertum Berengario opposuerant, sed etiam Ludouicum Bosonis filium Prouinciæ Regem semel atque iterum; tum Rodulfum Burgundiæ Regem, necnon Hugonem Arelatensium Comitem aduersus eumdem Berengarium arcessiuerunt. Quo Berengario interfecto, contra Rodulfum iterum Hugonem Prouincialium Comitem potentissimum acciuere, Regémque constituêre: & aliquanto pòst Rodulfum ipsummet R. è Burgundia aduersus Hugonem reuocauere, deinde Arnoldum vel Arnolfum Baioariorum ac Carantanorum Ducem; postremò Berengarium iuniorem Berengarij nostri è filia nepotem, contra Hugonem & Lotharium Reges inuitauere. *Tyrannos* Panegyristes Berengarij iustos ac legiti-

mos Reges appellare consueuit. Sic suprà

Ne lepidos caperent siquidem sedata tyrannos.

nimirum Arnulfum & Berengarium Reges. Item de R. Arnulfo,

At ductor Latij socium sine more tyrannum
Vt videt ingruere.

HADRIANI VALESII
IN LIBRVM IV.
NOTÆ.

QVARTA *igitur Latio vixdum deferbuit æstas.*
Hac ratione iterum solito sublata veneno
Bellua, Tyrrhenis fundens fera sibila ab oris,
Sollicitat Rhodani gentem.]

Quarto anno post Lamberti Aug. mortem nondum expleto, *vixdum deferuescente* IV. *æstate*, hoc est sub finem quartæ æstatis, aut circa initia IV. autumni Adelbertus potentissimus Marchio Tuscorum, qui olim Etrusci, & à Græcis *Tyrrheni* vocabantur, accolas fluminis Rhodani seu Prouinciales Regémque eorum Ludouicum solitâ impulsus perfidiâ in Italiam arcessiuit aduersus Berengarium, & ceteris Italiæ Principibus auctor fuit rebellandi, Ludouicûmque inuitandi : quemadmodum Liut-

prandus in libri II. capite x. tradit. *Bellua* igitur *solito veneno sublata*, & *Tyrrhenis ab oris fera sibila fundens*, Adelbertus est Marchio Tuscorum vel Lucensium: quem Panegyristes ob perfidiam & defectionem & ob euocatum Ludouicum serpentis venenatæ sibilantísque appellatione designauit.

Sollicitat Rhodani Gentem, cui moribus auctor
Temnendus Ludouicus erat, sed stirpe legendus:
Brengario genesi coniunctus quippe superba.]

Rhodani Gens sunt Prouinciales, quorum Rex erat Ludouicus, ob nobilitatem generis Regno quidem dignus; sed indignus propter morum peruersitatem: dignus quidem ob stirpem Regiam qui ab Italiæ Proceribus Rex eligeretur: ob prauitatem animi dignus idem qui reiiceretur. Certè nemo negare possit, Ludouicum hunccè nobilissimum fuisse, cùm Bosonis Regis Prouinciæ filius fuerit, matrem autem habuerit Hermengardem, quæ Ludouici minoris Aug. filia, Imperatorum trium Lotharij neptis, Ludouici Pij proneptis, Caroli Magni abneptis fuit: à quo Carolo Magno cùm genus maternum deduxerit Berengarius, haud dubiè Ludouicum Prouinciæ Regem sanguine contingebat. Ceterùm *moribus temnendus* dicitur à Poëta nostro Ludouicus, quòd oblitus iurisiurandi rediit in Italiam, & Berengarij Regnum inuasit, & quòd Adelberti Marchionis Tuscorum, cui maximè Regnum Italiæ debe-

bat; opibus ac potentiæ inuidit: itavt præter cetera vitia nobis ignota, periurus & inuidus fuisse videatur. Prouincia autem *modicum valens* Poëtæ nostro dicitur, id est parum potens, infirma, inualida; incolæ eius, *inualidi alumni*, ac *viri superbi*.

Hic dudum Ausonii cupidus regnare per aruum:
Sed vetuit Fortuna.]

Ludouicus hic ab Adelberto Eporediæ Marchione, genero Berengarij ipsius, atque à nonnullis aliis Proceribus Italiæ inuitatus, venerat iam antea in Italiam cum exiguis copiis: quem Berengarius magno fretus exercitu & Adelberto Marchione Tuscorum comitatus ita terruerat, vt iurare compelleret, si incolumis dimitteretur, nullis condicionibus ad Italiam repetendam adductum iri: sicut Liutprandus in capite XI libri II. scriptum reliquit. Langobardorum autem Regnum tantoperè affectabat Ludouicus, quia cùm materni aui sui, proaui, abaui quoque & atauí illud fuisset, potiore iure ad se quàm ad Berengarium pertinere videbatur.

Modò quia nuntia votis
Accipit, extemplò sociis ad tecta vocatis.]

Nunc quia nuntium suis votis respondentem accepit, statim Optimates & Proceres regni (quos *amicos* eius & *socios* Poëta appellat) in Regiam conuocatos, ad expeditionem Italicam suscipiendam hortatur. Qui nuntius ve-

teribus dictus est, Catullo, Curtio & ceteris, postea nuntium vocari cœpit.

Nam rure vocamur
Vicino Italiæ. Vires huc fortè superbas
Dum tulero, propriis discedet Ductor ab oris.] Nam ab Italiæ Proceribus inuitamur in Italiam nobis proximam, & à Prouincia Regno nostro solis Alpibus diuisam. Postquàm eam regionem cum exercitu ingressus fuero; forsitan (vt spero atque confido) Rex Berengarius vti iam metu Vuidonis fecit, aufugiet ac Italiam Regnum suum relinquet. *Dum tulero*, id est quum tulero.

O miser, inque dies miser; inuictúmne lacessas?] Berengarium ἀνίκητον βασιλέα.

Nescio namque, mali quid mens præsagat eunti.] In Italiam *eunti* scilicet Ludouico. *Præsagat* pro præsagiat & in codicibus Ammiani MSS. legitur, vt Frater meus obseruauit. Legi & posset ita

Nescio namque mali quid mens præsagit eunti. Id est, *namque nescio quid mali eunti mens præsagit: nescio quid* mali, seu aliquid mali.

Nec victor, decus & Latij spes vnica Regni,
Tunc Veneti seruare solum de nomine dictum
Quartanam patiens poterat, nec tendere bellum
Hostibus: immodicas animo sed decoquit iras.] Berengarius propter quartanam quâ laborabat, Regnum Italiæ suum, ac ne prouinciam quidem Venetiam in qua commorari consue-

uerat, ab hoste defendere, & bellum à Ludouico illatum repellere non poterat. Hoc vnus dicit Poëta noster, qui cùm viuo Berengario scripserit Panegyricum suum, adulari quidem tanto Regi dominóque suo potuit nonnumquam: sed summa rerum capita in quibus facilè ab omnibus falsi conuinci posset, finxisse, commutasse, aut de industria mentitus esse mihi non videtur.

Infaustus Veronæ etiam contendit ad arcem.] Ludouicus tam à Tuscis Principibus, quàm à Transpadanis quos Liutprandus *Italienses* vocare consueuit, receptus regio apparatu, Berengarium qui Veronam sese contulerat persecutus est, eóque inde expulso, totum Regnum sibi subiecit. Tum ab vrbe Ticino proficiscitur Lucam, vt Adelbertum Marchionem Tuscorum viseret: inde reuersus Veronam petiit, vrbémque apertam intrat: si Liutprando credimus.

More pij Regis tamen vt subsedit apertis
Mœnibus, antiquos sociis disterminat agros.

Postquàm Ludouicus more exemplóque R. Berengarij Veronæ consedit, Prouincialibus suis expeditionis Italicæ comitibus agros in Italia, pro sua cuique dignitate suóque merito attribuit: sicuti Vuido Aug. Gallos auxiliares antè erat remuneratus. Hoc nos solus docet Panegyristes.

Nil veritus: metuenda nimis quia sustulit ipsum

Fama, Berengarium leti dispendia passum.] Securus ac nihil sibi à quoquam timens, Ludouicus Veronæ desidebat, propterea quòd falso nuntio ipsi quidem optando, sed Italis omnibus præsertim bonis metuendo deceptus, Berengarium interiisse morbo existimabat, eóque rumore sublatus, nimiam habebat suarum rerum fiduciam, tamquam morte æmuli vacuam aulam cum Regno occupauisset.

Ah Latium, quis te tantis defenderet armis?
Ergo pius Genitor rerum seruato magistrum,
Ne pereant vno Latialia gaudia leto.]

O Italia, quis mortuo Berengario te à tot hostibus internis externísque tam fortiter potentérque defenderet? Ergo Deus Berengarium nobis Regem nostrum rerúmque dominum incolumem diu serua, ne cum eo pax Italiæ sæculíque felicitas pereat. Quibus verbis ac precibus Panegyristes apertissimè ostendit, hoc Poëma se viuo Berengario scripsisse. *Rerum magistrum* appellat dominum rerum, vt paullo infrà de Adalberto,

Apenninicolas fausto qui nomine turmas
Elicit, egregio cupidus seruire magistro.

Egregio domino, nimirum Berengario seruire ac suam fidem præstare cupiens. Passim eo nomine Poëta sic vtitur, vt nunc magistrum pro domino vulgò dicimus. Ceterùm *Latialia fœdera* corruptè appellauit Panegyristes, quæ veteres *Latiaria* dixissent. Quippe obseruo à La-

tio non Latialem deduci, ſed *Latiarem*, quem Græci Λατιάριον nuncupant. Certè *collis Latiaris* Romæ ab ara *Iouis Latiaris* cognominati, mentionem facit Marcus Varro in libro IV. de Lingua Latina. *Iouis Latiaris*, Λατιαρίου Διὸς meminere præter ceteros Cicero pro Milone, Feſtus in Oſcillum, Dionyſius Halicarnaſſenſis in libro IV. Antiquitatum Romanarum, & Suetonius Tranquillus, quum à quibuſdam Caium *Latiarem Iouem conſalutatum* ſcribit: vti in vetuſtiſſimo & optimæ notæ codice Memmiano aliiſque ſcriptum reperio, cùm libri excuſi *Latialem* mendosè præferant. Eſt & *Latiaris*, Λατιάριος, nomen proprium viri Prætorij ſub Tiberio Aug. T. Sabini circumuentoris apud Cornelium Tacitum in Annalibus, & Dionem Caſſium in libro LVIII. Romam Paulinus in epiſtola ad Auſonium *Auguſtam vrbem Latiaris Quirini* vocat: & Priſcianus in libro IV. *à Latium Latij Latiaris, ſicut à peculium peculij peculiaris fieri* affirmat. Omitto, quòd *ſollemne Latinarum Latiar* à Macrobio in libro I. Saturnaliorum appellatur, non Latial, vt à ſolio ſoliar. Ex quibus apparet, à Latio *Latinum*, & pro Latino *Latiarem* ac Latium dictum olim eſſe, ac ita dici oportere; *Latialem* numquam dictum eſſe, nec dici oportere.

Conualuit quia Regnator tamen, vndique lecti
Conueniunt Proceres læti, vexilláque caſtris
Proripiunt, celeréſque Ateſis ad mœnia tendunt.]

Postquàm conualuit Berengarius, ad eum Proceres Regni læti confluunt, & Veronam positam ad flumen Atesim petere contendunt. Nimirum Adelbertus Marchio Tuscorum atque etiam ceteri Italiæ Principes per Bertam Adelberti vxorem alienati à Ludouico iam defecerant: qua occasione Berengarius, posteaquàm conualuit, ad opprimendum hostem securum vti constituit. Sed diuturna admodùm febris Berengarij ac trium circiter annorum fuit, si Ludouico intrante Italiam quartanâ laborabat, nec nisi paullo ante excæcationem eiusdem conualuerat: quem triennio in Italia regnauisse Chronicon Cassinense, Sigebertus & Sigonius docent; Regino (falsò tamen) annis IX. Marianus X.

Hæc obiter comi referantes famina Regi.] Hæc inter eundum Regi Berengario dicentes, atque ab eo postulantes. *Famen* à fari pro sermone dixit Poëta, vt solamen à solari Virgilius, & tutamen à tutari, conamen à conari.

Te petimus pietatis honor: nec parua precatu
Credimus hæc.]

A te petimus Pie Rex: neque leuia hæc aut exigui momenti, & indigna quæ petantur existimamus.

Vrbem propriis si ceperis armis,
Membra viros sine curtari, qui fœdera Regni
Proturbant totiens: damnum pietatis iniqua
Ne patiamur.]

Si

Si Veronam ceperis, patere Rex, Ludouicum semel átque iterum Regni tui turbatorem, qui contra religionem iurisiurandi Italiam repetere & occupare ausus est, artubus seu pedibus manibúsque truncari, ne nostra nobis lenitas obsit: neu si inuiolatum eum dimiserimus, iterum renouet bellum. Posset & legi

Membra Viro sine curtari, qui fœdera Regni
Proturbat toties.

Nam ea de solo Ludouico dici indicat responsum Berengarij,

Et crimina capto
Ne conferte Viro, generis quia sanguine pollet.
Ad hæc, Animis aduertite Ductor
O Proceres inquit monitus.]

Ad hæc inquit Ductor Berengarius: *O Proceres animis aduertite monitus* meos, neu periurij culpam in Ludouicum si captus fuerit conferte, sed in eius consiliarios, neve pœnas ab eo expetite. Dignus enim est veniâ cùm ob nobilitatem generis, tum maximè ob iuuentutem.

Et crimina capto
Ne conferte Viro, generis quia sanguine pollet,
Et forsan facinus maturis deseret annis.]

Forsitan cùm maturuerit, periurium oderit, & fidei erit seruantior, suóque contentus alienis non iniiciet manum. Anno DCCCLXXVI. Boso Hermengardem Ludouici iunioris Aug. filiam in matrimonium accepit: ex qua Ludouicum hunc tulit, qui anno Christi DCCCCIV. aut in-

sequenti oculis orbatus est à Berengario, & tum annos ætatis ampliùs XXVIII. habere non potuit.

Testetur pia iura poli, & dimissus abito.
Hoc satis.]

Iuret per Deum legémque eius Ludouicus, & per ea quæ sunt apud nos sanctissima, non se ampliùs in Italiam rediturum, & dimittatur incolumis, Prouinciámque suam repetat. Hoc satis mihi erit: hoc vos quoque velim esse contentos. Ibi *abito* dictum pro *abeat*: vt habeto pro habeat, esto pro sit. Seruius in librum V. Æneid. *Habeto*, (inquit) *habeat. Tertia persona est à futuro imperatiui, quæ in hoc modo numeri singularis similis secundæ est.* Ceterùm hæc fingit, vt puto, Panegyristes, vt auertat noxam à Berengario in Proceres militésque eius, & vt inuito Berengario Ludouicum Optimates Italiæ excæcasse nobis persuadeat. Vnde & addit:

Nil moti dictis, potiùs fera murmura rodunt,
Non se posse malum posthac dimittere inultum.

Proceres Regni Langobardiæ, nihil moti verbis mitibus Berengarij, secum taciti murmurant, tantum se periurium impunitum non passuros. At contrà apud Liutprandum in libri II. capite XI. Berengarius cùm corruptis auro custodibus clàm noctu in vrbem Veronam esset receptus, & ibi Ludouicum securum ac inopinantem oppressisset, adducto ad se sic loquitur. *Oculos tibi auferri non solùm iubeo, sed compello.*

Ilicet admissi, penetrant miserabile templum
Quo Ludouicus erat.] Admissi in vrbem Veronam Berengariani, sub auroram intrant Ecclesiam Sancti Petri amœnam & munitam, in sinistra parte vrbis sitam summo in colle, quò Ludouicus strepitu hostium excitatus confugerat: ibi eum capiunt, vinciuntque, & luminibus orbant *in ortu Solis*, vt ait Poëta, seu *in ipso auroræ crepusculo*, vt Liutprandus loquitur.

Tu ponens etiam curtum femorale Iohannes
Alta tenes turris, si fortè resumere vitam
Sis potis. Hinc traheris tamen ad discrimina mortis,
Et miser in patria nudus truncaris harena.] Irruentibus in Veronensem Ecclesiam B. Petri Berengarianis, Iohannes vnus è Ludouici partium adiutoribus in turrim supradictæ Ecclesiæ confugit, si qua ratione mortem posset euadere: sed extractus è latebra, interfectúsque & spoliatus est. Qui videtur ciuis Veronensis fuisse, & contra fidem Berengario datam ad Ludouicum transiisse, cùm Veronæ iugulatus sit, & *in patria arena truncus* iacuisse dicatur. Hic autem Iohannes à breuibus feminalibus vel bracis quibus vtebatur, cognomen inuenerat, vni memoratus Poëtæ nostro

Tu ponens etiam curtum femorale Iohannes.
Ponens curtum femorale: hoc est *curtum femorale ponere* solitus, breuibus feminalibus, vti as-

suetus. Sic nos hodieque *ponere* vel (vt vulgari vtar verbo) *mittere vestem*, pro indui vestem habitúmve dicimus.

Nuntius at postquàm sociorum allabitur aures,
Prælatum iuuenem communi lumine cassum:
Consilij fugiunt inopes, passímque recedunt.] Prouinciales postquàm cognouere Ludouicum Regem suum, quem in Italiam secuti erant, & à quo ibi agros possessionésque acceperant, excæcatum esse: inopes consilij passim aufugiunt, ac domum quisque redeunt. Adalbertus quoque iuuenis fortis, gener Regis Berengarij, coactis copiis Prouinciales quos *viros inualidos* & *superbos* Poëta appellat, ex Marca sua Eporediensi expulit, & Prouinciam vnde venerant repetere coëgit, fidem suam domino Berengario R. patri socerove suo approbare volens.

Nec remouere viros cessat de parte superbos
Fortis Adalbertus, iuuenilibus obsitus annis:
Apenninicolas fausto qui nomine turmas
Elicit, egregio cupidus seruire Magistro.] Adalberti seu Adelberti Eporediæ Marchionis, qui ex Gisila R. Berengarij filia Berengarium iuniorem Regem Italiæ genuit, *faustum* esse *nomen* dicitur à Poëta, quia Adal vel Edil linguâ Germanicâ nobilem, Bertus, Bert splendidum ac fulgidum significat: vt Vita S. Bertæ docet. Certè in veteribus legibus Anglorum Nobilis vocatur *Adalingus*: & in Saxo-

nia tria fuisse hominum genera, Nobilium seu *Edilingorum*, Ingenuorum, & seruorum Nithardus in libro IV. tradit. Ex Adal autem vel Edil, & Bert compositum est nomen Adalberti. Tum porrò omnes Prouinciales & si qui alij Ludouicum secuti erant, occisos, aut saltem expulsos esse ex Italia, indicat Panegyristes his verbis

Et rediit pax grata piis, procul agmine tristi
Exemto, patriæque Duce ac genitore recepto.

Agmen illud *triste* Prouinciales sunt, R. Ludouici comites; *Dux* & *pater patriæ* Berengarius: quo recepto & in regnum suum restituto, ac Prouincialibus procul pulsis & domos reuerti coactis, pax grata bonis rediit.

Qui licèt effusos toto egerit orbe triumphos,
Cluserat Imperij necdum diademate vultum,
Romanâ steterat rutilus nec vestibus aulâ,
Induperatorum solito de more parentum.]

Berengarius post excæcatum Ludouicum expulsósque Prouinciales toto potitus Regno Langobardiæ, post tot & tantas ac tot ex hostibus relatas victorias, nondum tamen factus erat Imperator: nondum coronam desuper clausam, ἐπιμώκλειστον Anastasio Bibliothecario dictam, (qualis tum Imperatorum erat) acceperat Romæ ab Episcopo Vrbis: nondum ibi in Basilica B. Petri purpurâ & auro circumfulserat more maiorum suorum. *Effusos toto orbe triumphos* Berengarij vocat Panegyristes, non

qui *toto orbe acti* sint, (nam intra Italiam tantùm Berengarius bellauit & vicit) sed quorum in totum orbem diffusa notitia sit.

Cur? Nisi quòd vicisse dolos virtute decebat,
Ad summum transire gradum nisi sæpe vocatũ.] Berengarium nisi victis vi hostibus, & nisi priùs à Romanis vocatum sæpe ac rogatum, ad Imperium qui summus honor est, peruenire non decebat. Sæpius ergo si Panegyristæ nostro fides habenda est, (cur autem habenda non sit non video) rogatus iam fuerat ab Episcopis Romanis, arcessitúsque Berengarius.

Summus erat Pastor tunc temporis Vrbe Iohannes,
Officio affatim clarus, sophiáque repletus.] Episcopus Ecclesiæ Romanæ tum erat Iohannes, eius nominis decimus, dignitate sapientiáque clarus, qui anno DCCCCXVI. sedere cœpit, & sedit annos XIV. menses II. dies XV. vt Onufrius Panuinius in Romanis Pontificibus scribit. Quibus artibus hic Iohannes & qualis mulieris operâ ad Apostolicæ Sedis fastigium elatus sit, docet Liutprandus in capite XIII. libri II. Tum Saraceni Africani quos & Pœnos & Mauros à sedibus appellitant, occupato monte Gareliano non modò Christianos ad limina Apostolorum orationis caussâ proficiscentes aut capiebant, aut nisi datâ immodicâ pro redemtione pecuniâ abire non patiebantur: sed etiam vetus Patrimonium S. Petri possessionésque

etiam ac vrbes & prouincias à Pippino Caroloque Magno Ecclesiæ Romanæ concessas populabantur atque vastabant: pecunias quoque ex Patrimonio Sancti Petri Romam ad Episcopum Vrbis tutò deportari prohibebant. Quamobrem Iohannes *populum terrámque sibi subiectam à Pœnis tam grauiter laniari* indignatus, vti ait Liutprandus, ad Berengarium cum muneribus litteras misit, quibus eum rogabat, vt vrbi Ecclesiæque Romanæ à Saracenis perfidísque Christianis vexatæ consuleret, & vtrique certam rerum suarum possessionem assereret, Imperium pro tanto beneficio recepturus. Venit igitur Berengarius Romam cum copiis, & à Iohanne Imperatoriâ est coronâ redimitus, Augustúsque appellatus. Ibi Pöeta nöster definit. *Summus* autem *erat tum in Vrbe Pastor Iohannes*, quum Berengarius factus est Imperator; erat &, quum Panegyristes poëma suum scripsit. Quippe si viuo Berengario scripsit, (vti scripsisse in Præfatione ostendimus) vtique & viuo ac sedente Romæ Iohanne X. scripsit. Nam anno Christi DCCCCXVI. Episcopatûs Iohannis primo Berengarius Imperatoriis insignibus donatus; anno eiusdem Sacerdotij IX. vel X. est interfectus.

Quatenus huic prohibebat opes vicina Charybdis,
Purpura quas dederat maiorum sponte Beato
Limina qui reserat castis rutilantia Petro.]

Quia *Charybdis* Romæ propinqua Iohannem

Episcopum Romanum priuabat opibus rebúsque, quas maiores Berengarij, Reges Francorum Imperatorésque Romanorum, nimirum Pippinus, Carolus Magnus, ceterique B. Petro cælum iustis aperienti seu Ecclesiæ Romanæ donauerant. *Charybdis* illa *vicina* Romæ omnino (vt obseruo) mons est Garelianus in Latio cum munitione cognomini ad Gareliani fluminis seu Liris ostium, & ad mare Tyrrhenum, iuxta Traiectum non longè à ruinis Minturnarum. Aberant autem Minturnæ ab Vrbe viâ Appiâ circiter CIII. millia passuum. Porrò *Saraceni* Africani *in monte Gareliano munitionem constituerant, in qua vxores, captiuos, paruulos, omnémque supellectilem satis tutò seruabant. Nemo etiam ab occasu siue ab arcturo orationis gratiâ ad Beatissimorum limina Apostolorum transire poterat, qui ab his aut non caperetur, aut immedicò dato pretio dimitteretur. Romanorum etiam ciuitates ita occupauerant*, vt quasque dimidias obtinerent. Addit Liutprandus in libri II. capite XII. *Africanos Romam versus aciem gyrauisse, montémque Garelianum maxima pro tuitione sibi vindicauisse, multásque munitissimas ciuitates vi cepisse*: qui & in capite XIV. *Garelianum flumen* ac *Gareliani montis summitatem angustásque vias* memorat. In Annalibus Bertinianis dicuntur *Saraceni Maurique anno* DCCCXLVI. *quemdam montem centum ab Vrbe millibus munitissimum* (id est Garelianum) *occupâsse*,

Quod si verum est, annis non vt ait Leo XL. sed LXX. Garelianum montem obtinuere Saraceni. Nam anno demum DCCCCXVI. eo monte deiecti sunt. Leo Marsicanus in Chronici Cassinensis libri I. capite XLV. de ea re sic refert. *Rursus Saraceni fœdus cum Docibile Duce Caietanorum ineunt, captiuisque redditis, Garilianum ad inhabitandum ab eo directi sunt: vbi annis fermè* XL. *constituti, innumera vndique mala gesserunt, multúmque Christiani sanguinis fuderunt.* Item in capite LV. Gariolanum montem eum vocat, & Saracenos ab Italis & à Iohanne X. Papa inde expulsos esse operâ Leonis Aug. ac cæsos anno DCCCCXV. Indictione III. mense Augusto affirmat falsò: cùm Leonem Aug. anno DCCCCXI. mortem obiisse constet, & cùm suprà ostenderim, anno DCCCCXVI. & Iohannem X. Romanum Episcopatum & Berengarium Imperium Romanum iniisse: à quo Iohanne certum est vel ex vno Poëta nostro, Berengarium coronatum vnctúmque esse. Apud Sigebertum in Chronico, Anno DCCCCX. *Saraceni Romam versus girantes Garelianum montem occupant, ibique munitione sibi factâ, multas Italiæ vrbes debellauerunt.* Et anno DCCCCXXIII. *Africani qui per munitionem Gareliani montis totam Italiam laniabant, per militiam Iohannis Papæ & per auxilium Romani Græcorum Imperatoris pugnâ ita atteruntur; vt ne vnus quidem superfuerit.* Indictione autem VIII. annò DCCCCXIX. Roma-

nus, Augustus est appellatus, & annis XXVI. cum filiis suis generóque Constantino imperauit. *Lirim amnem* (inquit Raimundus Marlianus) *iam septingentos abhinc annos à Gariliano castello, quod Saraceni munitissimum propugnaculum sibi construxerant, Garilianum appellamus.* Sed errat Marlianus. Nemo enim veterum montem aut flumen Garelianum à Saracenis Africanis nomen accepisse dicit, non Liutprandus, non Leo Marsicanus, non Sigebertus, qui vtriusque meminere. Crediderim potiùs à monte Gareliano munitionem seu castellum Saracenorum in eo conditum appellationem accepisse, vt & castellum Garelianum diceretur, vulgò *la scafa del Garigliano*: quo in monte vel colle Traiectum quoque, vulgò *Traietto*, ex Minturnarum in valle vel in planitie sitarum ruinis ædificatum esse aiunt, prope ostium Liris fluminis Latij; quod Leander *Garigliano* nunc vocari etiam dicit. *Vicina* ergo Romæ *Charybdis* Poëtæ dicitur, munitio in monte Gareliano à Saracenis statuta, ad centesimum ab Vrbe lapidem: quòd vt illa olim in freto Siculo; sic hæc ad mare Tyrrhenum obuia omnia absorberet atque deuoraret.

Dona Duci mittit sacris aduecta ministris.] Mittit Berengario Iohannes Papa X. dona per Presbyteros aut Diaconos Ecclesiæ Rom.

Quò memor extremi tribuat sua iura diei
Romanis, sonet Ausonias quo numine terras.]

Regem orat, vt memor diei Iudicij, Ecclesiæ Romanæ res suas à Saracenis direptas vastatásque restituat, & auctoritate sua, viribúsque suis eamdem vrbi Romæ quam Regno suo Langobardiæ pacem securitatémque reddat, pro tanto beneficio Imperium consecuturus.

Imperij sumturus eo pro munere sertum,
Solus & Occiduo Cæsar vocitandus in orbe.] *Imperij sertum, Imperij diadema*, & *Imperij coronam*, ac *diadema gemmis auróque leuatum* vocat Panegyristes coronam Imperatoriam ἐπικάλεισον, quæ à Regia differebat, & quam Anastasius Bibliothecarius S. E. R. in Constantini Copronymi imperij anno XXVIII. à similitudine *galeam* appellauit. Vndique enim clausa erat & solida, ac totum caput ambiebat tegebátque cassidis modo, variis gemmis & multiplici serie margaritarum ornata: quales coronas in capitibus cùm aliorum Imperatorum Romanorum recentiorum, tum maximè Theodori Lascaris posterioris, Michahelis Palæologi, & Andronici Palæologi eius filij obseruare memini. *Solus* autem *in Occidente Cæsar* erat futurus Berengarius post vnctionem coronationémque sui Romæ factam à Iohanne, propterea quòd Ludouicus Bosonis filius aut iam post excæcationem perierat, aut ei post effossos oculos cum Regno Italico Imperatorium nomen erat ablatum; Carolus Rex Francorum Occidentalium erat, Cunradus Orientalium

& Germanorum: Hispaniæ & Britanniæ Reguli plures tum & inualidi à cogitatione Imperij plurimum aberant. Itaque solus quidem in Occidentis partibus Cæsar Aug. vel Imperator futurus erat Berengarius; sed non solus tamen Imperator in Occidente appellandus: cùm Imperatores Constantinopolitani Thraciam, Macedoniam, Daciam, atque etiam Siciliam, & ipsius Italiæ prouincias Apuliam & Calabriam tunc obtinerent in Occiduis tractibus, ibi certè saltem Cæsares & Αὐτοκράτορες seu Imperatores Augustíque nuncupandi à subiectis nationibus.

Talibus euictus precibus iubet agmina Regni
Assore, quæ tanti gressum comitentur honoris.] Victus & deuinctus precibus muneribúsque Iohannis Papæ Rex Berengarius, copias suas è toto Regno coactas, quibuscum bella pacémque gessit, adesse ac properè conuenire iubet, quæ ipsum Romam iturum ac diadema noménque Imperatorium recepturum comitarentur.

Feruere tunc videas vrbem, & procedere portis
Quot Roma gremio gentes circumdat auito.] Peregrini Romæ tum multi erant exteri, quàm varij linguis, tam vestis habitu: quidam etiam ex eis obliti patriæ, ibi habitabant. Hi omnes in scholas diuisi erant pro sua quisque natione, Franci, Saxones, Langobardi, Græci, Frisij vel Frisones, aliíque. Venienti ergo Romam Regi

alicui vt Imperator consecraretur, occurrere solebant schola Francorum, schola Græcorum, schola Frisiorum, schola Saxonum, schola Langobardorum cum signis atque vexillis, præcedente Senatu populóque Romano atque militia.

Interea Princeps collem qui prominet Vrbi
Prateriens, vbi se prato commisit amœno:
Singula quæque modis incendunt æthera miris
Agmina.]

Collis ille celsus & editus, à quo despectus in Vrbem erat, haud dubiè *Mons Gaudij* vocatur ab Ottone Episcopo Frisingensi in capite XXII. libri II. de Gestis Friderici I. Romanorum Imperatoris S. A. vbi ait Fridericum *armatum cum suis per decliue montis Gaudij descendisse, & portâ Aureâ Leonianam vrbem in qua B. Petri Ecclesia sita est, intrauisse. Montem Gaudij, qui & Marij dicitur*, appellat Petrus Diaconus, qui in occursum Henrici R. eò populi infinitam multitudinem à Paschale Papa II. missam esse tradit. *Pratum* autem *amœnum* colli subiectum aberat ab vrbe Roma ferè vno milliari, quo in loco vniuersæ militiæ scholæ cum Patronis Regibus Imperatorio diademate coronandis, aut etiam Imperatoribus occurrere solebant, laudésque eis accinere: vt Anastasius in Hadriano I. & in Sergio II. indicat. Nonnumquam Iudices vniuersi cum signis multo longiùs ab Vrbe Principibus occurrebant,

ad IX. lapidem, ad XII. etiam ad tricesimum, sicuti idem docet. Leo ipse Episcopus Romanus cum Romanis Carolum Magnum Regem Francorum & Langobardorum ac Patricium Romanorum Romam venientem apud Nomentum XII. ab Vrbe lapide honorificè excepisse, in Annalibus rerum Francicarum ante annos DCCCXLVI. compositis dicitur. Regi Berengario occurrisse Senatum Rom. & scholam Græcorum, aliásque exterorum scholas, ac fratrem Iohannis Papæ, Consulísque filium scribit Panegyristes noster. Ceterùm qui ex Vrbe occurrebant Principi coronando, vel iam coronato, varios in ordines vel scholas (*agmina* Poëta appellat) diuidebantur pro varietate graduum atque nationum, & carmina in laudem Principis composita suâ quisque linguâ alteri post alteros modulabantur. Priores vt procedebant, ita & canebant Romani; Romanos excipiebant Græci, Græcos ceteræ exterorum scholæ. Sic *laudes* nouorum Imperatorum olim *à Consulibus* in Curia *dici* consueuisse docet Capitolinus in Pertinace: ne de Senatorum aut militum solitis acclamationibus loquar. Sic & Mauricio Aug. nouo *laudes acclamatas* esse in Circo Constantinopoli; & Regi Guntchramno Aurelianos petenti processisse obuiam oppidanos cum signis ac vexillis, Latinos, Syros, Iudæos, *laudésque cecinisse* scribit Gregorius Turonicus Episcopus. *Dulcisonas laudum vo-*

ces, Anastasius in Sergio Papa II. *miras modos* suprà Poëta noster ob modulationem appellat. *Laudes Imperatori* (Ludouico Pio) *debitas Clerus Romanus conclamauisse* dicitur in Vita Ludouici Pij Aug.

Admonet me Gregorij Turonici Episcopi facta mentio, paucis aperire, quid in libri Historiæ eius x. capite xvi. sit, barbatorias celebrare. Romani diem quo primam barbam posuerant, sacrificiis & conuiuiis ac domestica religione lætitiáque celebrabant. Caius Cæsar Aug. Germanicus, qui Caligula cognominatus est, *vicesimo ætatis anno accitus Capreas à Tiberio C. Aug. vno atque eodem die togam sumsit, barbámque posuit sine vllo honore, qualis contigerat Tirocinio fratrum eius*, vt Caius Suetonius Tranquillus scribit: qui & auctor est, Neronem Cæsarem Aug. *gymnico certamine quod in Septis edebat, inter buthysia apparatum barbam primam posuisse, conditámque in auream pyxidem & pretiosissimis margaritis adornatam Ioui Capitolino consecrauisse*: quemadmodum apud Arbitrum in pyxide aurea non pusilla barba Trimalcionis condita esse dicitur. Iuuenalis in Satyra III. sacra tum Diis Penatibus fieri, & liba inter amicos diuidi consueuisse docet hoc versu,

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati:
Plena domus libis.

Liba autem, quæ placentæ de farre, melle &

oleo erant, & Græcis popana vocabantur, ſacris apta fuiſſe, vel ex vno Seruio omnes ſciunt. Omitto verſum notiſſimum Satyræ VIII. de claritate natalium.

Quædam cum prima reſecentur crimina barba.
Primam adoleſcentium barbam excipiebant parentes, aut propinquæ, nimirum amita, matertera, aut auia, condebántque pyxide, & ad Deum cui conſecrata erat mittebant, aut ipſæ ei offerebant. Nero *cùm amitam ex duritia alui cubantem viſitaret, & illa tractans lanuginem eius, vt aſſolent iam grandes natu, per blanditias fortè dixiſſet, Simul hanc excepero, mori volo: conuerſus ad proximos, confeſtim ſe poſiturum velut irridens ait.* Elagabalus Aug. ſemel mentum raſit, ob idque diem feſtum egit: vt Dio in libro LXXIX. ſcribit. ἅπαξ ἀπεκείρατο τὸ γένειον, καὶ ἐπ' αὐτῷ ἑορτὴν ἤγαγε. Manſere & apud Chriſtianos priſci moris veſtigia. Adoleſcentem enim radendum deducebant in Eccleſiam parentes, & propinqui amicíque, & per Preſbyteri vel etiam Epiſcopi miniſterium primam lanuginem poſituro fauſta precabantur. In libro Sacramentorum Gregorij Papæ cum *oratione ad capillaturam* reperitur & *oratio ad barbas tondendas*, quæ talis eſt. *Deus, cuius Spiritu creatura omnis incrementis adulta congaudet, exaudi preces noſtras ſuper hunc famulum tuum Ill. iuuenilis ætatis decore lætantem, & primis auſpiciis attondendum: vt in omnibus protectionis tuæ muni-*

tus

tus auxilio, cælestem benedictionem accipiat, & præsentis vitæ præsidiis gaudeat & æternæ. Et Proceres quidem eligebant aliquem magnæ dignitatis virum, cuius sibi manu prima barba cæderetur. Sic Taso Langobardus, Dux Foroiuliensium Gregorium Patricium & Exarchum Rauennæ eam in rem elegerat, à quo per fraudem & perfidiam est interemtus. Quippe iureiurando pollicitus erat Gregorius, *se Tasoni barbam sicut moris erat incisurum, eúmque sibi filium facturum.* Itaque Taso cum Caccone fratre suo & lectis iuuenibus nihil mali metuens, ad Gregorium venit Opitergium: quem mox vnà cum suis, periurus Patricius portis vrbis clausis & immissis militibus non inultum interfecit, vt Paulus in libro IV. de gestis Langobardorum scribit. Ex quo apparet, cuius quis manu primam barbam posuisset, ei fuisse filij adoptiui loco. Primæ barbæ tonsio, & festiui simul conuiuij apparatus, tum propinquis & amicis dari soliti, dies quoque ipsa qua barba ponebatur, *Barbatoria* vocabatur. Id nos docet Glossarium Latino-Græcum vetus, quod Philoxeno cuidam tribuitur, his verbis: *Barbatoria*, πωγωνοκουρία. Eadem eisdem verbis docet & Glossarium Beati Benedicti Floriacensis, ab Henrico Stephano editum: *Barbatoria*, πωγωνοκουρία. Qui eum diem festum lætúmque agebant, & conuiuio celebrabant, *Barbatoriam celebrare* dicebantur. Apud Gregorium

in libri Historiæ x. capite xvi. Chrodieldis & Basina Monachæ Pictauensis Monasterij Sanctæ Crucis, obiecere Leuboueræ Abbatissæ, quòd talia in Monasterio conuiuia cum Sæcularibus iniisset. Episcoporum Pictauis congregatorum verba sunt hæc de Chrodielde & Basina Leuboueram Abbatissam accusantibus. *Adiicientes etiam, Barbatorias intus eo quòd celebrauerit.* Quæ cùm Henricus Spelmannus in suo Glossario vel Archæologo non intelligeret, *Barbatoriam artem tonsoriam, vel capilli barbæve cultum* significare existimauit. Nec feliciùs Spelmanno Claudius Salmasius ex nomine feminino nomen masculini generis fecit, ex numero singulari pluralem: & in veteribus Glossis quas suprà laudauimus, *legendum* putauit, *Barbatoria*, πωγωνοκουρεῖα: ac *Barbatoria officinas tonsorum* seu tonstrinas esse credidit, *Barbatores* κουρεῖς vel tonsores, in suis in Ælij Lampridij Antoninum Elagabalum Notis. Hæc nos primi omnium obseruauimus, vt Gregorij nostri verbis obscuris & à nemine hactenus intellectis lucem daremus, morémque dudum abolitum illustraremus, in duorum amicorum à quibus ea de re consulti sumus, vel potiùs doctorum in omnium gratiam.

Namque priùs patrio canit ore Senatus.] In veteribus Annalibus rerum Francicarum qui in anno DCCCXII. desinunt, dicitur Leo Papa anno DCCC. *misisse obuiam Romana vrbis vexilla*

Regi Carolo Romam petenti, *ordinasse etiam atque disposuisse per congrua loca tam peregrinorum quàm ciuium turmas, qui venienti laudes dicerent.* Et Anastasius scribit, eumdem Leonem ex Saxonia Romam reuertentem, à Proceribus Clericorum, ab *Optimatibus & Senatu,* à cuncta militia & vniuerso populo Romano, & à cunctis scholis peregrinorum ad Pontem Muluium cum signis exceptum esse. In Annalibus Francicis à Pithœo Freheróque editis qui vulgò Fuldenses cognominantur, de Arnulfo Romam intrante hæc inuenio. *Omnis namque Senatus Romanorum, necnon Græcorum schola cum vexillis & crucibus ad pontem Muluium venientes, Regem honorificè cum hymnis & laudibus suscipientes, ad Vrbem perduxerunt. Patrio* autem *ore*, id est linguâ Latinâ laudes Arnulfi canebat Senatus, præfixa sudibus ferens capita ferarum: vt indicaret, quidquid hostes nimirum Saraceni feris ferinísque animis tentarent, sub tanto Imperatore tam prudente támque callido irritum deinceps futurum.

Præfigens sudibus rictus sine carne ferarum.] *Capita Draconum cælata in ligno*, glossa vetus exponit hos *rictus ferarum sine carne*: quasi Senatus more militis Romani signa Draconum in summis hastis fixa gestauerit. Capita variarum ferarum contis præfixa, non vera quidem sed facta è lino picto aut è serico malim

in libri Historiæ x. capite xvi. Chrodieldis & Basina Monachæ Pictauensis Monasterij Sanctæ Crucis, obiecere Leubouerae Abbatissæ, quòd talia in Monasterio conuiuia cum Sæcularibus iniisset. Episcoporum Pictauis congregatorum verba sunt hæc de Chrodielde & Basina Leubouerain Abbatissam accusantibus. *Adiicientes etiam, Barbatorias intus eo quòd celebrauerit.* Quæ cùm Henricus Spelmannus in suo Glossario vel Archæologo non intelligeret, *Barbatoriam artem tonsoriam, vel capilli barbæve cultum* significare existimauit. Nec feliciùs Spelmanno Claudius Salmasius ex nomine feminino nomen masculini generis fecit, ex numero singulari pluralem: & in veteribus Glossis quas suprà laudauimus, *legendum* putauit, *Barbatoria*, πωγωνοκουρεῖα: ac *Barbatoria officinas tonsorum* seu tonstrinas esse credidit, *Barbatores* κουρεῖς vel tonsores, in suis in Ælij Lampridij Antoninum Elagabalum Notis. Hæc nos primi omnium obseruauimus, vt Gregorij nostri verbis obscuris & à nemine hactenus intellectis lucem daremus, morémque dudum abolitum illustraremus, in duorum amicorum à quibus ea de re consulti sumus, vel potiùs doctorum in omnium gratiam.

Namque priùs patrio canit ore Senatus.] In veteribus Annalibus rerum Francicarum qui in anno DCCCXII. desinunt, dicitur Leo Papa anno DCCC. *misisse obuiam Romanæ vrbis vexilla*

Regi Carolo Romam petenti, *ordinasse etiam atque disposuisse per congrua loca tam peregrinorum quàm ciuium turmas, qui venienti laudes dicerent.* Et Anastasius scribit, eumdem Leonem ex Saxonia Romam reuertentem, à Proceribus Clericorum, ab *Optimatibus & Senatu*, à cuncta militia & vniuerso populo Romano, & à cunctis scholis peregrinorum ad Pontem Muluium cum signis exceptum esse. In Annalibus Francicis à Pithœo Freheróque editis qui vulgò Fuldenses cognominantur, de Arnulfo Romam intrante hæc inuenio. *Omnis namque Senatus Romanorum, necnon Græcorum schola cum vexillis & crucibus ad pontem Muluium venientes, Regem honorificè cum hymnis & laudibus suscipientes, ad Vrbem perduxerunt. Patrio* autem *ore*, id est linguâ Latinâ laudes Arnulfi canebat Senatus, præfixa sudibus ferens capita ferarum: vt indicaret, quidquid hostes nimirum Saraceni feris ferinísque animis tentarent, sub tanto Imperatore tam prudente támque callido irritum deinceps futurum.

Præfigens sudibus rictus sine carne ferarum.] *Capita Draconum calata in ligno*, glossa vetus exponit hos *rictus ferarum sine carne*: quasi Senatus more militis Romani signa Draconum in summis hastis fixa gestauerit. Capita variarum ferarum contis præfixa, non vera quidem sed facta è lino picto aut è serico malim

intelligi. Petrus Diaconus in libri IV. Chronici Cassinensis capite XXXIX. occurrisse R. Henrico Staurophoros, Aquiliferos, Leoniferos, Lupiferos, & Draconarios prodit.

Indicio: deuicta cadent temtamina posthac,
Si qua hostes animo cupient agitare ferino.]
Indicio, ad indicium, ad indicandum hostes ferarum similes esse, eorum conatus ferinis pares, & ex ipsis instar ferarum prostratis Berengarium triumphaturum. Canebat autem (vt puto) Senatus id quod rictibus istis ferarum præfixis designare volebat, & quod Poëta subiicit.

Deuicta cadent temtamina posthac,
Si qua hostes animo cupient agitare ferino.
Dædaleis Graius sequitur laudare loquellis.]
Post Senatum Romanum procedebat & Berengarium laudabat schola Græcorum *Dædaleis loquellis*, id est variis, multiformibus, multiplicibus, artificiosis: aut certè Atticis. Dædalus enim Atheniensis fuit: cuius nominis tertiam syllabam Poëta ex longa breuem fecit. Anastasius in Vita Sergij Papæ II. scribit, Sergium *in Excellentissimi Hludouuici Regis occursum dum Vrbi pene* I. *milliarij spatio appropinquasset, vniuersas militiæ scholas cum patronis direxisse, dignas nobilissimo Regi laudes omnes canentes, aliósque militiæ doctissimos Græcos, Imperatorias laudes* (Lotharij Aug.) *decantantes: qui cum dulcisonis earumdem laudum vocibus*

ipsum Regem gloriosè susceperunt. Arnulfo occurrisse præter ceteros scholam Græcorum, ex Annalibus Fuldensibus suprà docuimus. Quin & multo antè Paulus Episcopus Romanus, imperante Constantino Leonis Isauri filio, in domo sua Monasterium S S. Stephani & Siluestri Episcopi Romanorum exstruxit, Monachísque Græcis ibi congregatis *Græcæ modulationis Cœnobium* esse decreuit: vti Anastasius scribit. Locum ipsum *ad Sanctos Martyres in schola Græcorum* appellari iussum ait Hugo Floriacensis Monachus Hilduinum secutus. Inuenio & Romæ *S. Mariam in schola Græca*, titulum Diaconi seu Diaconiam fuisse. Multi ergo tum Græci habitabant Romæ, cùm & ea in vrbe Monasterium haberent. Vetus auctor, qui acta Sutrij inter Paschalem & Henricum vidit & scripsit, circa annum MCXI. de Rege Henrico Romam intrante ita refert. *Ante portam à Iudæis; in porta à Græcis canentibus exceptus est:* quæ verba in libri IV. historiæ Cassinensis Monasterij capite XXXIX. apud Petrum Diaconum reperiuntur.

Stoicus hic noster: cluibus quia pollet Athenis, Et sollers iter in Samia bene callet arena.] Hoc erat, quod canebant Græci qui occurrerant Regi Berengario honoris caussâ. Berengarius Stoïcus noster est, cui tota nobilium Athenarum seu veteris Græciæ philosophia; cui Pythagoræ Samij via virtutis est cognita, Ni-

mirum Pythagoras Philosophus genere Samius qui allegoriis gaudebat, in litteræ Υ forma biuium atque discrimen vitæ humanæ agnoscere se dictitabat: & in dextro eius litteræ ramo qui minor esset, arduam virtutis viam & angustam; in sinistro cornu quod esset latius, viam facilem atque procliuem vitiorum ac voluptatis. Glossæ autem quæ in codice reperiebantur, à nobis suo quæque loco sunt relatæ, quoties opus fuit. Quas ego glossas à vetere aliquo Grammatico, vel potiùs ab ipsomet Panegyrista & Poëta nostro adiectas esse puto, quemadmodum Abbo auctor Poëtæ nostri fere æqualis, in libris suis de obsidione Luteciæ se fecisse profitetur. Glossa igitur, cuiuscumque sit, heic *cluibus* interpretatur *nobilibus*. *Cluo* (κλύω) *Græcum, est idem quod ausculto. Est autem polysemus sermo. Nam cluis nobilis, & pugnax, & auscultans dicitur, & defensor.* Sanè κλύω, apud Græcos significat audio, ausculto, morem gero, loquor: à quo κλυτὸς clarus, inclytus, celeber dicitur. Latinis clueo vel cluo (nam vtramque coniugationem habet) idem est quod noscor, nominor, dicor, vocor, sum. Vnde *cluis* nobilis: quod nomen nusquam alibi legere memini quàm in Glossis à Bonauentura Vulcanio editis, & è MS. Glossario Arabicolatino veteri collectis, in quibus *Cluis, nobilis* exponitur. *Cluere* etiam *antiqui purgare dicebant:* à quo Venus Cluacina nomen habet,

vt ſcribit Plinius in libri xv. capite xxix. Cluere an etiam veteres dixerint pugnare & defendere, haud equidem ſcio: qua de re fides ſit penes Gloſſatorem.

Cetera turba pium natiua voce tyrannum
Proſequitur, totáque docet tellure magiſtrum.] Poſt Senatum Romanum & Scholam Græcorum, ceteri exteri ac peregrini qui aut Romæ ſedem habebant, aut orationis tantùm cauſſâ ad limina Apoſtolorum venerant, vt Franci, Langobardi, Saxones Anglíque: in ſcholas turmáſve diuiſi, patriâ quiſque linguâ laudes Berengario pio Regi dixere, & totius orbis occidui dominum mox futurum cecinere.

Heic etiam iuuenes nitida reſpergine creti
(Alter Apoſtolici nam frater, Conſulis alter
Natus erat) pedibus defigunt oſcula Regis.] Iuuenes nobiliſſimi & clariſſimo ſanguine orti, nimirum frater Iohannis PP. X. & Conſulis ac Ducis Romanorum filius, poſtremi tamquam honoratiores occurrerunt R. Berengario, & more Romano iaminde à Caio Cæſare Caligula cœpto pedes eius ſunt oſculati: quo ſalutationis genere aut potiùs adorationis Romam vltrò ditioni eius ſe ſubiicere indicabant. *Apoſtolicum* ex more vocat κατ' ἐξοχὴν Panegyriſtes noſter Epiſcopum vrbis Romæ Iohannem eius nominis decimum, ceu Sedis Apoſtolicæ inſeſſorem, & Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſorem ac Vicarium. Sed iam-

dudum Episcopi quilibet hoc sibi etiam vindicauerant, vt *Apostolici Papa, Apostolici Patres, Apostolici Præsules* vocarentur. Frater autem hic Iohannis Papæ X. Petrus appellabatur: quem postea à Vuidonis Tuscorum Marchionis & Marociæ eius vxoris militibus in palatio Lateranensi interfectum esse scribit Liutprandus in libri III. capite XII. *Consul* Romanorum tum erat *Theophylactus*: sicuti Glossa docet, quæ non addit, quo nomine filius Theophylacti appellaretur. Consul qualis tum erat, Consul & Dux vrbis Romæ vocari consueuerat. Sic in libro instrumentorum Monasterij Casauriensis dicitur Ludouicus iunior Aug. fundator eius Monasterij, *à Petro Consule & Duce vrbis Romanæ* possessionem & capellam Sancti Blasij intra Vrbem, seu solarium domus suæ cum area & curte, & Curtem in loco & fundo Tusciano emisse DCCC. libris argenti. Petrus iste Consul & Dux Romanorum, in tabulis venditionis ita subscribit: *Petrus in Dei nomine Consul & Dux.* Patricium Romanorum vel Patricium vrbis Romæ, qui & Senator dictus est, *Consulis* olim appellatione designatum, in libro VI. Rerum Francicarum obseruauimus.

Hinc vbi Præsul erat, gressum comitantur herilem
Vestibuli ante fores, graduum quà peruius vsus
Aduehit ornatam cupidos intrare per aulam.]

Petrus Papæ frater, & Theophylacti Consulis Romanorum filius, ceterique peractâ saluta-

tione Berengarium ad Iohannem Pontificem maximum deduxere, in gradibus Basilicæ Beati Petri Apostoli vel in atrio super gradus eius Basilicæ sedentem: ad quos gradus Basilicæ S. Petri per atrij ianuam perueniebatur. Hanc ianuam *fores vestibuli* vocat Poëta noster: Petrus Diaconus in historiæ Monasterij Cassinensis libri IV. capite XXXIX. *porticûs portam* appellat. Quippe *porticus* & *vestibulum*, & vt Anastasius Bibliothecarius Ecclesiæ Romanæ loquitur, *atrium* vna eademque res erat. Atrium enim sine vestibulo & sine porticibus vtique esse non solebat. Media pars atrij subiecta gradibus Basilicæ, & circumdata quadriporticu seu tetrastylo, Paradisus dicebatur. Vnde Paulus in libro v. de gestis Langobardorum, & Aimoinus in libro IV. Historiæ produnt, *Domnum Papam Romanæ Ecclesiæ locum qui Paradisus dicitur ante Basilicam Beati Apostoli Petri, candidis & magnis marmoribus mirificè strauisse.* Anastasius de eadem re scribens, locum istum *atrium B. Petri Apostoli subterius quod Paradisus dicitur, & est ante Ecclesiam quadriporticum*, nuncupat; Platina *vestibulum B. Petri quadriporticum, quod Paradisum vocant.* In Annalibus Fuldensibus *Formosus Apostolicus ante Paradisum loco qui dicitur Gradibus Sancti Petri suscepisse* Regem Arnulfum anno DCCCXCVI. dicitur. Erant autem in exteriore atrio gradus illi Basilicæ S. Petri haud exigui numero: quibus conscen-

ſis, iam interius atrium ingreſſo occurrebat ianua Argentea Baſilicæ, quam Petrus Diaconus *portam Argenteam*; Anaſtaſius in Sergio Papa II. *portas Argenteas* vel *ianuas Argenteas* nuncupat. Eâ ianuâ Reges ac Imperatores in Baſilicam Sancti Petri introducebantur ex more: quam Baſilicam *ornata aula* nomine Poëta deſignauit.

Ille quidem ſacro fulgens reſidebat amictu,
Altariſque ſubibat ouans hinc inde miniſter.]

Stantes antea Epiſcopi Romani ſolebant opperiri Reges ad limina Apoſtolorum accedentes. In veteribus Annalibus rerum Francicarum dicitur *Leo Papa anno* DCCC. *in gradibus Baſilicæ Beati Petri Apoſtoli ſtans cum Clero & Epiſcopis, equo deſcendentem gradúſque adſcendentem Regem Carolum excepiſſe, datáque oratione, in Baſilicam Beati Petri Apoſtoli pſallentibus cunctis introduxiſſe.*

In gradibus templi ſtipante ſacrato
Conſtitit ipſe choro. Carolum ſic aduenientem
Suſcepit, laudum modulamina dulcia cantans.]

In gradibus Baſilicæ Beati Petri Apoſtoli cum Epiſcopis & vniuerſo Clero conſiſtens, Leo Papa aduenientem Regem ſuſcepiſſe dicitur Eginhardo. Sic antea Hadrianus eumdem Carolum excepturus, *in atrio ſupra gradus Eccleſiæ Beati Petri adſiſtebat*, vt Anaſtaſius refert. Sic apud eumdem Sergius II. Papa Ludouico Rege Italiæ Lotharij Aug. filio veniente, *in atrio ſuper gra-*

dus iuxta fores Ecclesiæ cum vniuerso Clero & populo Romano adstitit. Iam inde igitur à Carolo Magno Episcopi Romani Reges nostros siue Imperatores consecrandos, siue iam consecratos excepturi, in gradibus Basilicæ Beati Petri Apostoli *stabant, adstabant, consistebántve* cum clero Ecclesiæ suæ, vestibus Pontificalibus induti, & ita Principum nostrorum adscendentium aduentum exspectabant. Quem morem vsque ad Ludouicum iuniorem Aug. durauisse puto per annos circiter L. Sed postea dignitati suæ conuenientius existimauerunt sedere in gradibus Basilicæ B. Petri, & sedendo stantes accedentésque Reges vel Imperatores opperiri, nec eis nisi omnes iam gradus emensis appropinquantibúsque assurgere: vt docet Anastasius, apud quem Leo IV. Sergij II. successor, Ludouicum iuniorem Lotharij Aug. etiamtum viui in Imperio collegam, Romam *venientem honorificè sicut mos est super gradus maiores Beati Petri Apostoli residens suscepit.* Idem ex Poëta nostro discimus, qui de Berengario hæc subiicit,

Postquàm conscenderat omnem
Adscensum, aureolo Præsul surgens cliothedro
Oscula figit ouans, dextrámque receptat amicam.

Vetus tamen mos standi ante fores Basilicæ B. Petri, à quibusdam postea seruatus est, vt à Paschale II. Henricum excipiente, & à quibusdam aliis.

Quid referam populos istinc illincque coactos,
Vndantésq; gradus, cùm Rex ad Templa subiret
Euectus Pastoris equo? Mox quippe Sacerdos
Ipse futurus erat. Titulo res digna perenni.]

Romani, & exteri atque peregrini atrium hinc & inde seu ex vtraque parte compleuerant, & gradus ipsos Basilicæ inundauerant: vix vt præ densa multitudine Rex ad gradus posset accedere, licèt præeuntibus stipatoribus & voce ac nutu turbam summouentibus. Vehebatur autem equo Episcopi Romani Iohannis X. ex more: quoniam ipse instar Sacerdotis mox futurus, & more modóque Episcoporum sacro oleo vnguendus consecrandúsque erat Imperator. Ibi Glossator, hoc est vt existimo Poëta ipse hæc obseruat. *Talis est mos Romanus, vt qui debet promoueri ad dignitatem Imperij, Præsulis equo deuehatur in Vrbem.* De eo more nihil vsquam legi, nihil me vsquam reperire memini: de quo tamen dubitari non potest, cùm & à Poëta nostro æquali eorum temporum describatur, & in Berengario candidato Imperij seruatus dicatur, & in Glossa apertiùs exponatur. Vbi notandum est in equis albis, qualibus Romani triumphantes curru iuncto Vrbem olim inuehi consueuerant, Imperatores atque Episcopos Romanos sedere solitos esse. Certè Leo in libro II. Chronici Cassinensis ait, Benedictum Papam Babenbergensi Ecclesiæ pro annuo censu *equum vnum optimum album cum*

ornamentis & phaleris suis ac centum marchis argenti imposuisse, & Leonem IX. Papam in gratiam Heinrici Aug. Conradi filij marchis remissis, *equum tamen sibi seruâsse* circa annum ML. Sugerius in Vita Ludouici Francorum Regis cognomine Crassi tradit, Dominum Papam Innocentium II. *albo & palliato equo insidentem* processisse die Paschæ ab Ecclesia S. Dionysij in Strata ad Basilicam Beati Dionysij nomine ac tumulo illustrem anno MCXXXI. Imperatorem quoque Lotharium Innocentio Leodicum intranti cum Episcoporum & Optimatum magno numero occurrisse, & *in platea ante maiorem Ecclesiam peditem per medios ad eum festinasse, & alterâ manu virgam, alterâ frenum albi equi accipientem, tamquam dominum deduxisse.* Apud Radeuicum in capite LXVII. libri II. obiicitur Rolando seu Alexandro Papæ III. quòd *ex Vrbe exierit sine manto, sine stola, sine albo equo vsque ad Cisternam.* Auctor est Henricus Cornelius Agrippa anno MDXXX. Clementi VII. Papæ, post coronam Imperatoriam Carolo impositam, ex Bononiensi Ecclesia Sancti Petronij procedenti coronato admotum esse *niuei candoris equum gradarium; aureis habenis ac monili purpureóque ephippio Insignem:* admotum esse & Imperatori *equum, niueo candore & altitudine illustrem, magnificentissimè ephippiatum phaleratúmque, auro & gemmis vndique fulgentem.* Cùm igitur Episcopus

Romanus equo albo vehi consueuisset, præsertim in sollemnibus festísque processibus, & in ingressibus vrbium: apparet R. Berengarium mox Imperatorem futurum, qui equo Iohannis X. Episcopi Romani vrbem Leonianam inuectus est, in equo albo tum sedisse. Domitianus Cæsar Vespasiani Aug. patris & Titi fratris *triumphum Iudaïcum equo albo comitatus est*, vt Suetonius scribit. Sed & Carolus V. Francorum Rex, cùm comperisset Imperatores in vrbes sibi subiectas equo albo inuehi solere, Carolo IV. Augusto ac filio eius Wenceslao Regi Romanorum anno MCCCLXXVIII. equos nigros misit Luteciam intraturis. Iacobus Picolomineus Cardinalis Papiensis in libro Commentariorum VII. tradit, anno MCCCCLXVIII. à Paulo II. Papa in Vaticanum reuerso Fridericum III. Imperatorem *albo equo phalerato & aurea veste donatum* esse, *vt cùm antea atratus Cæsar semper fuisset, in sollemni illa transmissione Imperatorio ornatu procederet.* Maximillianus Friderici huius filius, Rex Romanorum electus, & mox coronandus Aquasgrani intrauit *in veste aurea, & equo albo* anno MCCCCLXXXVI. Carolo Maximilliani Aug. nepoti, Imperatoriâ coronâ anno MDXXX. redimito à Clemente PP. VII. applicitum esse equum niuei candoris iam suprà notauimus.

Aduenit vt tandem lecto comitante ministro,
Atque pedes sensim gradibus conatur ab imis,

Vndique turba premit.]

Berengarius igitur equo vectus est vsque ad gradus Basilicæ Beati Petri, & ibi demum equo descendit, vt gradus conscenderet: quod *sensim* nec sine conatu fecit cùm ob ætatem ingrauescentem, tum ob turbam gradus inundantem.

Ter quoque sacra Pius gradibus vestigia fixit,
Maiestate manûs cogens cessare tumultus
Vndantis populi.]

Pius Rex Berengarius ter substitit in gradibus, & manu turbam vociferantem ac sibi obstantem repressit.

Postquàm conscenderat omnem
Adscensum, aureolo Præsul surgens cliothedro,
Oscula figit ouans, dextrámque receptat amicã.]

Postquàm gradus omnes Basilicæ Sancti Petri Apostoli conscendit Berengarius, Iohannes X. Papa qui in sella aurea considebat, assurrexit Regi demum, eúmque osculatus est, ac dextrâ dextram salutantis pro amicitiæ pignore apprehendit. Sic Leo Papa Carolum *equo descendentem, gradúsque adscendentem*, id est gradus omnes Basilicæ S. Petri supergressum, *exceperat*, vt veteres nostri Annales vniuersi docent. Glossæ, hoc est Poëtæ ipsius verba hæc sunt. *Cliophedrum Græcè dicitur sella plectilis, quæ vulgò Valdestolum vocatur.* Valdestolum vocat Glossator sedem vel cathedram, quam Fredegarius in libri v. & vltimi Chronici capite XXXIV. &

Theodulfus Faldaonem, recentiores Faldisto-rium vel Faldisterium appellant, Matthæus Parisiensis Faudestolam, nos vulgò olim *Faudestueil*, nunc truncato nomine *Fautueil*, Itali Faldistoro. Et sella quidem plectilis vel plicatilis, olim dicta est Faldao aut Faldestolum, vt Glossa docet. At nunc sedem seu cathedram maiorem, panno aliquo serico laneóve instratam, cui & dorsum & brachia sedentis possunt inniti, (quales iuxta lectos poni consueuere) Faldaonis Faldestolíve nomine designamus. Cæterùm Cliothedrum vel Cliophedrum corruptum nomen est. Clisthedrum aliqui dici mallent, id est sellam clausam. Fulcherius tamen Carnutensis qui in anno MCXXVII. desinit, in historiæ Hierosolymitanæ libri III. capite LXI. eo etiam nomine vtitur. *Considente autem* (inquit) *Boamundo super cliothedrum suum Principe effecto, diploidéque decentissima vestito, conuocatis Optimatibus suis omnibus: iurauerunt ei humanitatis subditam fidelitatem, præsente Rege & fauente, ab eo die & deinceps se seruaturos:* hoc est hominio & fide ei sunt adstricti. Porrò Clementem VII. Papam *aureâ cathedrâ* delatum esse in Bononiensem Ecclesiam Sancti Petronij inuenio, vbi Carolum V. Imperatorem coronaturus erat.

Oscula figit ouans, dextrámque receptat amicam.] Iohannes PP. Berengarium osculatus est Regem, dextrámque eius apprehendit. Nimirum

more

more Romano ſalutantes oſculum offerebant amicis, dextráſque iungebant. Quo more ſeruato, Hadrianus I. Papa & Carolus Rex Francorum ac Patricius Romanorum anno DCCLXXIII. Romæ in atrio ſuper gradus Baſilicæ S. Petri *mutuò ſe amplexi* ſunt, apprehendítque Carolus dexteram Pontificis, & ita aulam B. Petri ingreſſi ſunt; laudem Deo & Carolo canentibus Clericis & Monachis vniuerſis. Leo quoque Papa III. cùm ad eumdem Carolum Regem Francorum & Langobardorum ac Patricium Romanorum veniſſet, anno DCCXCIX. *pariter ſe* ambo *complexi cum lacrimis & oſculati ſunt*, ſicuti Anaſtaſius ſcribit.

Extemplò properans Carolus veneranter adorat
Pontificem amplectens magnum, & placida oſcula libat.

Inque vicem dextras iungunt, páriterq; feruntur
Greſſibus.

Sed & Pippinum Regis Caroli filium, obuiam ſibi à patre miſſum & ante ſe proſtratum manu alleuauerat Leo Papa, amplexatúſque fuerat & oſculatus: quemadmodum Alcuinus canit in quodam poëmatio. Apud Anaſtaſium in Vita Sergij Papæ II. anno DCCCXLIV. Romæ in atrio ſuper gradus Baſilicæ Sancti Petri Sergius Papa & Hludouuicus Rex Lotharij Aug. filius *mutuò ſe amplexi ſunt, tenuítque Rex dextram Pontificis, & interius ingreſſi atrium ad portas peruenerunt argenteas*: & Nicolaus I. Papa

Ludouicum huncce iuniorem iam Augustum anno DCCCLVIII. discedentem non semel est osculatus. Anno MCXI. Henricus qui eius nominis V. Rex Germaniæ, IV. Imperator fuit, ad Paschalis Papæ II. vestigia corruit, exsurgénsque *in ore, fronte, oculis ei osculum dedit, móxque dexteram Pontificis tenens, ad portam argenteam venit:* vt scribit Petrus in libro IV. historiæ Cassinensis. Paulus quinetiam Papa II. licèt more tum recepto in eminenti solio sedens anno MCCCCLXVIII. Friderico III. Imperatori & pedem & manum præbuerit osculandam: surgens tamen alleuatum eum deosculatus & amplexus est, dextrámque eius apprehendit, vt sæpe aliàs, ac semper ex æquo processit. Iustinus quidem Aug. abiecit se pronum, & Iohannem Papam adorauit. Rex Pippinus descendisse equo, *& humi prostratus* cum coniuge & filiis Stephanum Papam eius nominis tertium excepisse dicitur anno DCCLIII. Pippinus quoque Caroli Magni filius cum toto exercitu ante Leonem Papam III. sed pro ipsis Deum precantem ter humi sternitur: idémque mox faciunt, qui Carolum Magnum comitantur.

Ante Sacerdotem ter summum exercitus omnis
Sternitur, & supplex vulgus ter fusus adorat:
Pro populóque preces ter fundit pectore Præsul.

Ludouicus etiam iunior Aug. freno equi Nicolai I. Papæ apprehenso, pedes equitem deduxit more stratoris; & Imp. Lotharius in vrbe

Leodico Innocentium II. Episcopum Romanum; alij alios: ex quibus & Lotharius Innocentium, vt olim Ludouicus Pius Stephanum V. incedentem manu sua sustentauit. Henricus qui eo nomine quartus imperauit, ad Paschalis Papæ II. *vestigia corruit.* Anno MCXXXI. Ludouicus Francorum & Henricus Anglorum Reges Innocentij Papæ II. pedibus aduoluuntur, *procumbunt inclinato vertice, ac prosternuntur.* Hæc quidem omnia facta legimus; sed nullos tum Reges aut Imperatores Episcoporum Romanorum pedibus oscula fixisse legimus: quem honorem turbæ tantùm vicanæ Leoni III. Papæ ad Carolum Magnum festinanti dicuntur habuisse; Neapolitani Leoni IV. & Sigenulfus Beneuentanorum Dux Sergio II. Primus, vt equidem reor, omnium Imperatorum & Regum Fridericus Aug. anno MCLXXVII. Venetiæ in Riuo alto nudipes abiectis insignibus Regiis Alexandri III. Papæ pedes cum lacrimis osculatus fertur, sed nimirum vt vinculo anathematis exsolueretur. Idem tamen Fridericus Imperator anno MCLIX. Victoris Papæ IV. seu Antipapæ pedes osculatus esse dicitur Radeuico in libri II. capite LXX.

Hinc adeunt aulam pariter tibi Petre dicatam:
Ante fores stant ambo domus, dum vota facessit
Rex: etenim se cuncta loco vouet vltro daturũ;
Quæ priùs almifici sacris cessere tyranni.
Ilicet his verbis voluuntur cardine postes.]

Iohannes Episcopus Romanus & Rex Berengarius iunctis manibus Beati Petri Basilicam ianuámque eius Argenteam petunt. Clausa erat iussu Iohannis hæc ianua cum ceteris. Itaque ad ianuam ambo constitere, dum Rex vouet, iurat, ac pollicetur se simul ac Imperatorium diadema recepisset, donationes maiorum omnes confirmaturum, & quidquid Pippinus ac Carolus Magnus aliíque Principes Basilicæ huic contulerant, se eidem libentissimè collaturum. Quo facto, ianua Argentea aperta est statim, & cum Iohanne Berengarius Basilicam B. Petri intrauit. Ita Episcopi Romani sibi consulebant, ita suæ cauebant Ecclesiæ, vt non antè Reges ad Imperium promouendos, aut etiam Imperatores in Basilicam Beati Petri intrare paterentur, quàm fidem dedissent eam se defensuros, suum ei ius, sua omnia seruaturos: post exactum iusiurandum, quam *professionem* vel *promissionem* vocabant, aperiebatur demum Basilica Sancti Petri, & in eam Reges introducebantur. Primus omnium Sergius Papa tale aliquid videtur fecisse, & à R. Ludouico iuniore Lotharij Aug. filio cuius voluntati diffidebat, iusiurandum exigere ausus esse. Nam vt Anastasius tradit, cùm ambo *ad portas peruenissent Argenteas, tunc almificus Præsul claudi omnes ianuas Beati Petri atque serari præcepit, & Regi sancto Spiritu admonente sic dixit: Si pura mente & sincera voluntate, & pro*

ſalute Reip. ac totius Vrbis huiúſque Eccleſiæ huc aduenisti, has mea ingredere ianuas iuſſione: ſin aliter, nec per me, nec per meam conceſſionem iſtæ tibi portæ aperientur. Statim Rex illi reſpondens dixit, quòd nullo maligno animo aut aliqua prauitate vel malo ingenio aduenisſet. Tunc Præſule præcipiente, prædictas ianuas patefecerunt, & ita in venerandam aulam Beati Petri ingreſſi ſunt, laudem Deo & eiuſdem Excellentiæ decantantes vniuerſus Clerus & cuncti religioſi Dei famuli, extenſáque voce acclamantes, Benedictus qui venit in nomine Domini. Aulam Beati Petri & *Apoſtolicam aulam* vocat Anaſtaſius Baſilicam vel Eccleſiam Beati Petri Apoſtoli, ſicut Panegyriſtes noſter *aulam Petro dicatam*, id eſt aulam Beati Petri. Iohannes Papa X. à Berengario noſtro expreſſius iuſiurandum exegit, poſt receptam coronam Imperatoriam, daturum Baſilicæ Sancti Petri quæcumque ei Reges Imperatoréſque conceſſiſſent, ſeu maiorum donationes litteris ſuis confirmaturum; ac tum demum recluſis foribus Argenteis Berengarium introduxit. Anno MXIV. *Henricus Rex à Senatoribus* XII. *vallatus, cum coniuge Cunegunda ad Eccleſiam Sancti Petri Papâ exſpectante venit*, & antequàm introduceretur, ab eodem *interrogatus, ſi fidelis vellet Romanæ patronus eſſe & defenſor Eccleſiæ, ſibi autem ſuíſque ſucceſſoribus per omnia fidelis, deuotâ profeſſione reſpondit; & tunc ab eodem inunctionem & coro-*

nam cum contectali sua suscepit: vt Ditmarus in Chronici libro VII. scribit. Petrus Diaconus in libri IV. Chronici Cassinensis capite XXXIX. de Henrico eius nominis IV. Imperatore ita refert. *Mox dexteram Pontificis tenens, magno cum populi gaudio magnísque clamoribus ad portam Argenteam venit. Ibi ex libro professionem Imperatoriam fecit, & à Pontifice* (Paschale II.) *Imperator designatus est, rursúmque osculato Pontifice, orationem primam continuò super eum Lanicanus Episcopus dedit ex more. Post Basilicæ ingressum* &c. Hæc anno MCXI. facta sunt. *Rex Heinricus* (inquit Sigebertus) *vsque ad ianuas Ecclesiæ Beati Petri Apostoli cum processione peruenit: vbi in oculis adstantium decretum promulgauit*, quo affirmabat omnia omnibus Ecclesiis à Regibus Imperatoribúsque concessa nullo se modo subtracturum.

Ilicet his verbis voluuntur cardine postes,
Extollitque sacer laudes per templa minister:
Vtpote Siluestrum videat properare magistrum,
Constantinum etiam typico Baptismate lotum.]

Post Berengarij professionem statim reserata sunt ostia, & ipse cum Papa Iohanne Basilicam intrauit, Clerúsque Romanus simul ingressus Deo, & Papæ & Regi laudes ibi alta voce dixit & cecinit: tamquam Siluestrum Episcopum Romanum & Constantinum Maximum Aug. recèns ablutum Basilicam eamdem intrantes videret. Siluestrum *Magistrum* vocat

Poëta, quòd Constantinum Augustum fidem Christianam docuisse & tinxisse Romæ, ac per Baptismum leprâ liberauisse credebatur; vt referunt Acta Siluestri, quæ falsa quidem, antiqua sunt tamen, vel potiùs veterrima. Obseruo enim Gregorium Turonicum Episcopum ea legisse & credidisse ante annos mille & septuaginta. Quippe in libri Historiæ II. capite XXXI. de Chlodoueo Rege Francorum à Remigio Remensi Episcopo abluto sic refert. *Rex ergo prior poposcit se à Pontifice Baptizari. Procedit nouus Constantinus ad lauacrum, deleturus lepræ veteris morbum; sordentésque maculas gestorum antiquorum recenti latice deleturus.* Tum ista subiungit. *Erat enim Remigius Episcopus sanctitate ita prælatus, vt Siluestri virtutibus æquaretur.* Quibus ex Gregorij verbis Regem Chlodoueum Constantino Maximo Augusto, & Remigium Episcopum Siluestro Episcopo comparantis, facillimè intelligitur, Gregorium Acta Siluestri in mente hábuisse cùm hæc scriberet, eáque Acta Siluestri nota fuisse ac probata Gregorio, vti & Gelasio & Poëtæ nostro. Constat tamen Constantinum Augustum nec elephantiasi vmquam laborauisse, nec Romæ à Siluestro, sed Nicomediæ aut saltem in villa publica Acyrone Nicomediæ proxima ab aliquo alio nobis incognito baptizatum esse.

Nec minùs his decus orbis inest, rerùmque potestas.

Tempora ni peiora forent impulsáque cessim.] *Cessim* id est retrò. Sanè vt Constantinus Maximus, sic & Berengarius Romani Imperatores fuere: & tam Iohannes X. eo nomine Romanæ Ecclesiæ Episcopus fuit, quàm Siluester fuerat. Sed non ideò tamen Berengarius Constantino comparari debet, Iohannésque Siluestro, cùm nihil ferè præter nomen dignitatémve commune habuerint. Constantinus exstincto Licinio Aug. collega & affine suo, totum Imperium Romanum per Orientem & Occidentem longè latéque diffusum obtinuit; Berengarius Regnum tantummodò Langobardorum, ac ne illud quidem totum, (nam Ducatus Beneuentanus suo Duci parebat) hoc est vix dimidiam Italiæ partem sub ditione sua habebat. A Siluestri sanctitate multum aberat Iohannes, stupris & adulteriis Episcopatum Romanum consecutus: sed potentiâ & opibus eum longè superabat; cùm Ecclesia Romana iaminde à Pippino Rege Francorum claras vrbes ac opulentas Italiæ prouincias, nimirum Rauennam, Pentapolim, totum Exarchatum, ac Tusciæ Campaniæque Romanæ seu Latij partem obtineret.

Iam tumulo Piscatoris sacra purpura Regis Sternitur.]

Ante sepulcrum Beati Petri ex piscatore Apostoli, quod vulgò tum Confessionem Beati Petri vocitabant, purpuratus Rex Berengarius

procubuit humi orationis cauſſâ, pronúmque ſe ex more proſtrauit. Sic Carolus Magnus Francorum Rex anno DCCLXXIII. cum Hadriano Papa I. ſimúlque Epiſcopi, Abbates, Iudices & vniuerſi Franci qui cum eo venerant; ſic Ludouicus Rex Lotharij Aug. filius anno DCCCXLIV. cum Sergio Papa II. & omnes Franci qui cum eo erant, ad tumulum Beati Petri ſeſe pronos proſternunt, Deo & Petro gratias acturi aut vota facturi, vti Anaſtaſius ſcribit. Sugerius tradit, Ludouicum Craſſum cum vxore & filiis *capite tamquam ad ſepulcrum Petri inclinato, pedibus Innocentij* Papæ II. *procubuiſſe.* Ceterùm cùm Poëta noſter *purpuram* Berengario tribuat Regi Langobardorum, necdum Imperatori: haud dubito quin tum Francorum Reges qui Imperatorum ſucceſſores erant, præter ceteros purpurea veſte vterentur.

Templa petit Ductor poſt hæc, vbi fercula dono Paſtoris digeſta nitent.]

Poſt fuſas ad ſepulcrum Beati Petri preces, Berengarius Palatium Epiſcopale petiit, vbi Iohannes Papa cenam ei exquiſitiſſimam dedit. Benedictus Papa VIII. anno MXIV. poſtquàm R. Henricum & Cunegundam in Eccleſia Sancti Petri inunxerat & coronauerat, *eodem demum die cenam eis ad Lateranum fecit copioſam,* ſicuti Ditmarus prodidit: at Berengario nondum coronâ Imperatoriâ redimito à Iohanne cena data eſt apud Sanctum Petrum, ſeu in

Palatio Vaticano Basilicæ Sancti Petri proximo: quod Palatium *templa* vocat Poëta, vt & suprà de Berengario.

Ire iubet celeres ad templa sodales,
Vicinum qui se referant.

De eo Palatio Otto in capite XXII. libri II. de Gestis Friderici Aug. mentionem facit, quum ait Fridericum Imperatorem anno MCLV. cum corona equo phalerato insidentem in castra sua muris Romæ proxima reuertisse, *Romano Pontifice* (Hadriano IV.) *in Palatio quod iuxta Ecclesiam Beati Petri habebat remanente.* Hoc Palatium vel Patriarchium à Leone Papa III. qui Caroli Magni capiti anno DCCCI. coronam Imperatoriam imposuit, ædificatum esse scribit Anastasius, & *domum iuxta Ecclesiam Beati Petri Apostoli* appellat: ac memoriæ tradit Imperatorem Ludouicum iuniorem anno DCCCLV. cum Leone Papa IV. *cùmque Romanis Proceribus & Optimatibus Francis sedentibus in domo quam B. M. Leo III. Papa iuxta Ecclesiam B. Petri Apostoli fecerat,* de Gratiani Magistri militum accusatione inquisiuisse. Sed & Iohannes Papa VIII. in epistola ad *Berengarium Gloriosum Comitem Regiâ prosapiâ ortum,* de Lamberto Spoletinorum Duce Widonis filio querens, ita scribit. *Venit Romam,* (Lambertus Comes Carolomanni Regis nomine) *& quasi inimicus portam ciuitatis Romanæ violenter capiens, satellites suos per dies plurimos retinere*

fecit, ac sic tantam ciuitatem inuasam retinuit; ita sanè vt nobis apud B. Petrum consistentibus, nullam vrbis Romæ potestatem à piis Imperatoribus Beato Petro P. A. eiúsque Vicariis traditam haberemus. In monte Vaticano hodiéque cum Basilica Beati Petri sunt Palatium hortíque Pontificis. Ex his intelligitur, haud vsquequaque verum esse, quod in libro de Episcopatibus, Titulis & Diaconiis Cardinalium ait Onufrius Panuinius, Episcopos Romanos *per mille annos vsque ad Clementis V. Pontificatum*, seu ad annum MCCCV. *in Patriarchio Lateranensi habitauisse:* post Gregorij demum Papæ XI. in Vrbem reditum qui anno MCCCLXXV. contigit, Antistites Ecclesiæ Romanæ *non ampliùs in domo Laterani, sed in Patriarchio prope Sanctum Petrum permansisse.* Etsi enim Patriarchium vel Palatium Lateranense, quod erat intra Vrbem Basilicæ Lateranensi vel Constantinianæ, aliàs S. Seruatoris & S. Iohannis dictæ proximum atque coniunctum, olim *solium Apostolicum* seu *Pontificale* fuit, vt loquitur Anastasius, hoc est sedes Pontificum Romanorum: licèt inquam ibi plerumque ac præcipuè habitauerint Vrbis Episcopi, tamen nihilominùs constat eos saltem iaminde à Leone Papa III. Patriarchium Palatiúmve in Vaticano extra Vrbem habuisse prope Basilicam Sancti Petri, vbi non rarò manserint; vbi Imperatores vnà cum ipsis conuentum Procerum egerint; quò Papæ Vr-

be ab aduersariis suis occupatâ velut in asylum confugerint, vbi Regibus & Imperatoribus cenam dederint.

Ac (decet vt Regem) variant tuceta ministri.] *Tuceta* Glossator, id est Panegyristes ipse nî fallor, *Regales epulas* exponit, Fulgentium V. C. in Expositione sermonum antiquorum secutus. Persio in Satyra II. *tuceta crassa* dicuntur, *bubula apud Gallos Cisalpinos condimentis crassis oblita & macerata, & ideò toto anno durans.* Hinc in Glossis quæ Isidoro tribuuntur, *Tucetum, bubula condita apud Gallos Alpinos:* & in veteri Glossario Latino-Græco quod vulgò Lexicon Philoxeni vocant, *tuccetum, Ζωμὸς παχὺς* exponitur, siue ius crassum: quæ ex verbis Interpretis Persij suprà laudatis desumta sunt.

Luce, Deus quâ factus homo processit ab antro Tumbali.]

Id est die Dominicæ Resurrectionis seu Paschæ, quo die Christus, Deus & homo, è sepulcro suo resurrexit. *Antrum tumbale* vocat Poëta locum, in quo erat sepulcrum Christi vel vt vulgò loquuntur tumba; aut etiam sepulcrum ipsum. *Monumentum* autem illud *erat excisum in petra*, vt Matthæus Marcúsque testantur. Quare locus in quo sepultus est Christus, ritè *antrum* nuncupari potuit, & à multis ita nuncupatur: à Burchardo in descriptione terræ sanctæ *spelunca sepulcri Domini* VIII. pedes

longa & lata. Vide eos, qui de locis sanctis scripsere.

Populus concurrit ab Vrbe,
Cernere vestitum trabeâ Imperiique coronâ
Augustum.]

Igitur die Paschæ Berengarius in Basilica Sancti Petri Imperator est factus: quem vt ibi populus Romanus Imperatoriis insignibus ornatum videret, ex Vrbe confluxit. Vrbem autem Romam à Burgo Sancti Petri vel vrbe Leoniana, vbi Basilica Sancti Petri erat, Tiberis ponte iunctus diuidebat.

Replicata calent spectacula totis
Ædibus: auratis splendent altaria pannis.]

Repetuntur iterantúrve spectacula per vrbem Leonianam: & pannis ex auro textili altaria Basilicæ Sancti Petri ornantur.

Cùm Princeps nitidus Tyrio procedit in ostro,
Tegmina vestitus crurum rutilante metallo:
Quale decus terræ soliti gestare Magistri.]

Berengarius Tyriâ purpurâ amictus processit in Basilicam Sancti Petri, auróque ocreatus: qualibus crurum tegminibus orbis Domini, seu Imperatores vti consueuerunt. Glossator *tegmina crurum è rutilante metallo, ocreas aureo colore respersas* exponit non admodum bene. Nam qui *tegmina crurum* è *rutilo metallo* seu ex auro dicit, ex auro textas ocreas vtique dicit; auricolores tantùm nequaquam dicit. Huiusmodi ocreas Imperatorias Eginhardus in Vita Ca-

roli Magni *Calceos Romano more formatos* ni fallor appellat. At Imperatores Græcorum rubricatis pellibus crura tum induebant. Certè Liutprandus in libri.III. Historiæ capite IX. scribit, Romanum vitricum & socerum Imperatoris Constantini communi populi consensu *rubricatarum pellium caligis, vt istic Imperatoribus mos erat, vsum esse.*

Per vincla Magistri
Te petimus, depone moras, & suffice votis.] Sunt hæ acclamationes populi Romani ad Iohannem Papam, per Vincula Beati Petri eum orantis obtestantísque vt Berengarium vngere & coronare properaret. *Magistrum* Romani vocabant Beatum Petrum, quòd maiores ipsorum fidem Christianam edocuisset atque tinxisset, primúsque apud ipsos Episcopus sedisset.

Talibus aræ adeunt gestis apsida sacratæ
Lumina terrarum.]
Lumina terrarum siue orbis Iohannes Papa & Rex Langobardorum Berengarius, mox futurus Imperator, petunt apsidem seu circulum sacri altaris, atque ante confessionem seu sepulcrum Beati Petri Iohannes capiti Regis Berengarij diadema Imperatorium ex auro & gemmis imposuit, & sacro eum oleo vnxit, more Hebræorum Reges suos ac Prophetas vnguentium; Hebræorum inquam seu Iudæorum *Cælicolarum* Poëtæ nostro dictorum, quòd Cæ-

lum vel Cæli lumen colere & adorare credebantur, simulacris carentes: vt Iuuenalis, Petronius in epigrammate, aliíque scripserunt.

Iam sacra resonant ædes, fremitúque resultant Clamantis populi. Valeat tuus aurea Princeps Roma diu, & supera sternat virtute rebelles.] Post coronationem & vnctionem Berengarij, tota Basilica Sancti Petri fremitu & clamoribus populi Romani & Langobardorum resonare cœpit acclamantium: Valeat tuus Princeps Roma, & Imperium Romanum victis hostibus ac rebellibus edomitis pristino splendori restituat. Sic an. DCCCI. ineunte Carolo M. coronato acclamatum est à populo Romano: *Karolo Aug. M. Imperatori Romanorum vita & victoria.* Anno DCCCXIII. Ludouico constituto Imperatori populi acclamauere: *Viuat Imperator Ludouicus.* & anno DCCCXVII. Lothario Imperatori electo populus acclamauit, *Viuat Imperator Lotharius.* In Litania DCCC. annorum à Goldasto edita, *Hludouuico à Deo coronato Magno & pacifico Regi vita & victoria.* Sic apud Ditmarum in libro II. Chronici, *Omnes Reip. Principes Ottonem patris sui decreto ac petitione vno ore in Regem sibi & dominum elegerunt eleuatis dextris, conclamantes, Viuat & Valeat Rex victor in æternum: paritérque cum eo ad Aquasgrani proficiscuntur anno* DCCCCXXXVI. Ita ergo Franci electis à se Regibus acclamare consueuerant, atque etiam coronatis iam & vnctis cùm Regi-

bus tum Imperatoribus. Qui mos veterum Romanorum fuit, acclamare Imperatoribus electis solitorum, *N. Auguste, Dij te seruent: Iupiter opt. max. Macrino & Antonino vitam.*

Lectitat Augusti concessos munere pagos
Præsulis obsequio gradibus stans lector in altis:
Cæsare quò norint omnes data munera.]

Finitis populi acclamationibus & laudibus ac votis, & facto tandem silentio, lector stans summis in gradibus Basilicæ Sancti Petri legit Berengarij Aug. litteras, paullo antè ab eo promissas, quibus omnium superiorum Principum donationes confirmabantur, & quicumque pagi seu regiones, ac vrbes Basilicæ S. Petri datæ olim fuerant à Pippino, Carolo Magno aliísque; à Berengario Augusto eidem ac Iohanni Papæ concedebantur nominatímque exprimebantur: vt omnes scirent ab Augusto Berengario data hæc esse Beato Petro, vel potiùs confirmata, & terras loco sacro attributas ac veluti sacras nemo ampliùs sibi vindicare auderet. De hoc more nihil alibi legi.

Dona tulit perpulcra Pius tunc denique Templo;
Baltea lata Ducum, gestamina cara parentum;
Ac vestes etiam signis auróque rigentes.]

Missâ peractâ, Basilicæ Beati Petri obtulit contulítque Berengarius Augustus ex more dona pretiosa, baltea maiorum suorum, vestes, diadema. Sic Carolus Magnus à Leone Papa coronatus Imperator *ante sacram Confessionem B. Petri*

Petri Apostoli, post celebrationem missarum obtulit Apostolo Dei mensam argenteam, vasa ex auro, coronam auream, & alia aliis Basilicis Romæ obtulit. Anno DCCCLXXVII. Caroli Magni nepos Imperator Carolus imaginem Christi crucifixi ex auro & gemmis per Iohannem Papam S. Petro Apostolo obtulit. Idem Carolus anno DCCCLXXVI. ineunte Beato Petro *multis & pretiosis muneribus oblatis, vnctus & coronatus* atque Romanorum Imperator appellatus fuerat, sicut Annales Bertiniani docent.

Quid referam, quantis replerit mœnia donis? More Romano veteri Imperatores pro Imperio non modò militi donatiuum, Augustaticum postea dictum, sed etiam congiarium populo dabant: vt Antoninus Pius adoptatus ab Hadriano, multíque alij fecere. Apud Gregorium in libro historiæ VI. Mauricius *ad circum processit, acclamatísque sibi laudibus, largitis populo muneribus, in Imperio confirmatur*. Constans Heraclij Aug. nepos, initio Imperij *Senatum* allocutus est & *donis dapsilibus honorauit*: Constantinus quoque cognomine Copronymus cùm duos è filiis suis Cæsares appellasset, vxorémque suam tertiam Eudociam coronâsset, *iactauit Hypatiam*, seu aurum in populum more Consulum procedentium sparsit: quemadmodum Theophanes & Anastasius qui eum transtulit docent. Primus ex nostris Carolus Caluus *datis Iohanni PP. VIII. & Romanis magnis*

muneribus Imperator creatus est anno DCCCLXXVI. ineunte die Natali Domini, *Imperatoris nomine à Iohanne ingenti pretio emto*, vt Regino & Annales Mettenses docent. Vnde in Annalibus Fuldensibus dicitur, *Senatum Romanum more Iugurthino corrupisse sibique sociauisse, itaut etiam Iohannes Papa coronâ ei impositâ eum Imperatorem & Augustum appellari praeceperit.* Henricus V. quasi pænitentiâ ductus, *ciues ac Pontificem* (Romanos ac Paschalem) *muneribus sibi conciliauit, ab eoque coronatus, fauore omnium Imperatoris & Augusti nomen sortitus est anno ab I. D.* MCXI. vt Otto Frisingensis Episcopus in libri VII. historiæ capite XIV. tradit. Romani per Legatos anno MCLV. *quinque millia librarum*, aut si Helmoldo creditur, XV. millia librarum argenti pro congiario à Friderico petiere, danda Romanis Officialibus seu honoratis, & Senatoribus, qui ipsi in Capitolio acclamaturi ex more erant: ac paullo pòst populus Romanus qui cum Senatoribus suis in Capitolium conuenerat, audiens Fridericum *sine sua adstipulatione* vel *iniussu suo* ab Hadriano PP. IV. *coronam Imperatoriam accepisse*, Tiberim transiit, pugnámque cum Germanis conseruit. Legatis tamen populi Romani sic locutus fuerat paullo antè Fridericus, vt de more dandæ ei pro corona pecuniæ consentiret. *Hunc quem alibi à Diuis parentibus meis acceptum seruaui morem, ciuibus cur negarem?* Romanis nimirum: quæ verba le-

guntur apud Ottonem Frisingensem Episcopum in libro II. de Gestis Friderici I. Roman. Imperatoris; aut vti apud Guntherum in libro III. Fridericus legatis istis ait:

Nec plebem munere largo
Lætificare tuam renuo: sed pacta recuso.

Non omittam, quæ in Vita Henrici IV. reperio de Roma ab eo vi capta. *Tandem Roman præsumtionis suæ pœnituit: & quæ priùs meruisse poterat vt à Rege donis honoraretur, tum ingenti pecuniâ apud Regem vix obtinuit, ne tota subuerteretur:* cuius filius & successor Henricus huius nominis quintus, post Augustalem vnctionem & coronationem, tam *Papæ* Paschali *quàm singulis eius Episcopis, Cardinalibus, Clericisque maioribus ac minoribus dona tot, tanta, ac talia dispertiuisse* dicitur à Conrado Abbate Vrspergensi, *vt absentibus omnino incredibile esset.* Anno M C X C. *Filius Friderici Imperatoris Henricus Rex à Cælestino Papa III. omnium Romanorum fauore vnà cum coniuge die sancto Paschæ coronatus, Imperatoris & Augusti nomen sortitur. Hunc fauorem Romanorum, auaritiæ eorum maximis muneribus satisfaciens promeruit:* inquit Otto à Sancto Blasio. Eum igitur morem secutus Berengarius, multa & magna populo Romano doña vel munera pro Imperatorio diademate & acclamationibus seu laudibus dedit. In eius tamen verba Romani iurâsse, seu fidem ei iureiurando deuinxisse non dicuntur à Poëta;

ſicut iaminde à Carolo Magno vſque ad Arnulfum Auguſtum feciſſe eos obſeruo.
Imperator igitur Berengarius fuit, cùm antea Rex Italiæ ſeu Langobardorum fuiſſet, & à Iohanne Papa X. Romæ Imperatorio diademate cinctus eſt: quod ſi Poëta noſter ſolus ſcripſiſſet, ei vni fidem habendam putarem, qui & æqualis fuit Berengarij, & res ſibi cognitas atque compertas, nonnumquam & à ſe viſas enarrauit. Aduentum quidem Berengarij in Vrbem coronationémque ita deſcribit, vt haud dubitem ipſum tantæ lætitiæ interfuiſſe, nec audita verùm oculis ſuis ſpectata ceciniſſe. Sed non ſolus Panegyriſtes noſter Berengarium Imperatorem factum ait. Quippe & Conſtantinus Porphyrogennetus, qui tum viuebat, in libri de adminiſtrando Imperio capite XXVI. excæcato Ludouico, Regnum obtinuiſſe Berengarium dicit, Romámque veniſſe ac ibi eſſe coronatum. Frodoardus quoque qui anno poſt Berengarij noſtri mortem XIII. Chronicon ſuum abſoluebat, Berengarium anno DCCCCXXII. *Langobardorum Imperatorem* appellat, impropriè tamen: cùm Rex Langobardorum vocandus fuerit, Imperator Romanorum. Liutprandus licèt Berengarium & Widonem Romæ ex more ab Epiſcopo Romano Imperatores vnctos coronatóſque eſſe non prodat: tamen in capite II. libri I. vnà ambos Imperatores nuncupat his verbis: *Berengarius &*

Vuido Imperatores, ob Regnum Italicum confli-ctabantur. Otto Frisingensis Episcopus in libri VI. Chronici capite XV. & Gotfridus Viterbiensis Presbyter in Chronicorum parte XVII. eisdem ambo verbis tradunt, Ludouico Bosonis filio capto & luminibus orbato, *Berengarium exhinc Regnum Italiæ simul cum Imperio Romano obtinuisse.* Quin & Platina de eo in Christophoro Papa sic refert. *Acceptâ à Formoso Imperij coronâ; annis IX. vixit: atque ita Imperium à Francis ad Langobardos transfertur.* Constat tamen Berengarium IX. quidem annis Imperium tenuisse, sed à Iohanne Papa X. non autem à Formoso Imperatorem vnctum salutatúmque esse, vt Poëta noster disertè docet. In Chronico Monasterij Acutiani legimus litteras *Berengarij Imperatoris Augusti datas IX. Kalend. Iulij anno D. I. DCCCCXX. Domini Berengarij XXXIII. regni, imperij V. Indict. VIII. in* quibus *proauum suum Carolum Serenissimum Imperatorem,* (nimirum Magnum) & pronepotem eius *Ludouicum seniorem suum, olim Imperatorem* nuncupat, id est Ludouicum iuniorem Augustum quondam Dominum ipsius: sub eo enim Berengarius & sub Carolis Caluo Crassóque vixit. Hæc omnia ignorauisse Carolum Sigonium miror, qui anno DCCCCXV. regni XXVIII. à Iohanne PP. Berengarium mense Septembri Imperatorem inunctum esse dicit in libro VI. de Regno Italiæ, ídque *ex diplomatis eius elici,* in

quibus imperij sui annos annis regni subiungat. Tamquam sola nobis diplomata aut litteræ ad probandum Berengarij maioris Imperium supersint: quem die Dominicæ Resurrectionis seu Paschæ, non mense Septembri; anno Domini DCCCCXVI. non DCCCCXV. à Iohanne PP. X. Imperatoriis insignibus donatum esse suprà ostendimus. Neque ob Saracenos adiutorio ipsius recèns monte Gareliano depulsos vti credit Sigonius, à Iohanne Pontifice gratiam referente Berengarius factus est Imperator: sed vt Barbaros inde deiiceret Ecclesiámque Romanam eorum vexatione incursionibúsque liberaret, accitus à Iohanne Optimatibúsque Romanis, & tanto beneficio in antecessum est obligatus, quemadmodum in Panegyrici huius libro IV. & vltimo reperitur. Certè hoc ipso *anno* DCCCCXVI. *exisse Agarenos de Gariliano Indict.* IV. scribit Lupus Protospatha in Chronico: quos vtique adiutore Berengario nouo Augusto victos & eo monte deiectos esse non dubito. Et quoniam diplomatum Berengarij Augusti meminit Sigonius, operæpretium est litteras eius Imperatoris subiicere, ex libro instrumentorum Monasterij Casauriensis siue Piscariensis qui in Bibliotheca Regia Lutetiæ Parisiorum seruatur excerptas. Litteræ inscribuntur: *Præceptum Berengarij Imperatoris de libertate Monasterij Casauriensis & rerum eius:* & tales sunt.

In nomine Domini Dei æterni Berengarius diuinâ fauente clementiâ Imperator Augustus. Si sanctarum Dei Ecclesiarum famulis aliquod tutelæ Imperialis nostræ subsidium seu defensaculum impendimus, id ad æternæ recompensationis meritum nobis proficere non ambigimus. Quocircà nouerit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorúmque; præsentium scilicet ac futurorum industria, qualiter Monachi cuiusdam Monasterij, in quo almificum Beatissimi Pontificis atque Martyris Clementis corpus dignoscitur esse reconditum, vbi Casa aurea nuncupatur, & in honore S. ac indiuiduæ Trinitatis constructum decernitur esse, quod etiam Monasterium domnus Ludouuicus olim Serenissimus Imperator & noster consobrinus à fundamento, pro Dei amore suæque animæ salute cunctas proprietatis suæ res infra vrbem Romam siue extra ipsam, necnon & Pentapolis, Tusciæ, Spolitini Ducatus, Camerini Comitatus, atque Fermini, Ascolini, Aprutini, Pennini, seu Teatini finibus positas prætaxato Monasterio ibique Deo famulantibus tribuens construxit: ad Maiestatis nostræ clementiam percurrentes, mercedis nostræ pietatem suppliciter postulauerunt, quatenus eis pro Dei amore nostraque vel parentum nostrorum animarum remedio, eiusdem prælibati Monasterij res ipsis in eodem Monasterio nunc præsentibus, atque futuris Christo Domino famulantibus hoc nostræ auctoritatis Imperialis præcepto confirmare & corroborare modis omnibus dignaremur. Quod

firmiter attendentes, eorúmque Monachorum miseriam atque inopiam attentiùs perspicientes, omnes eiusdem Monasterij res quas prædictus Domnus Ludouuicus Imperator & consobrinus noster pro anima suæ saluatione in iamnominatis territoriis atque locis prælibato Monasterio ad Beatissimi Pontificis atque Martyris Clementis honorem dicato, vbi Casa dicitur aurea, olim præbuit suo in tempore: nolentes prænominati Domni Ludouuici Serenissimi Imperatoris & consobrini nostri eleemosynam atque mercedis suæ largissimam donationem in futuro penitus esse exstinctam, quemadmodum iam sæpedicti Domni Ludouuici Gloriosissimi Imperatoris animus futuris temporibus idem Monasterium in suo statu atque rectitudine decreuit & statuit esse, pro Dei amore nostræque animæ remedio vel parentum nostrorum salute (sicut etiam in eorum Monachorum iamnominato Monasterio assistentium præceptis legitur, quæ à præscripto Domno Ludouuico Serenissimo Imperatore & consobrino nostro eidem Monasterio deseruientibus Monachis conscripta esse videntur) per hoc nostrum Imperiale præceptum perpetualiter prædicto Monasterio eique deseruientibus Monachis confirmamus, modísque omnibus corroboramus. Præcipientes vt nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdasio, Gastaldio, aut quælibet magni aut parui officij persona iamnominatum Monasterium ibique Deo deseruientes, atque Beati Clementis humatum corpus custodientes

Monachos de eiusdem Monasterij rebus absque legali iudicio deuestire audeat, eisque quamlibet inferat violentiam atque iniuriam: sed liceat illis quieto ordine, quieta pace omnes prædicti Monasterij res tenere & frui, Deúmque pro nobis cotidie exorare absque contradictione cuiusquam. Si quis ergo hoc nostræ confirmationis præceptum infringere vel violare temtauerit, sciat se compositurum auri optimi libras ducentas, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem prætaxato Monasterio ibíque Domino famulantibus. Quod vt veriùs credatur diligentiúsque obseruetur, manu propria roborantes, de anulo nostro subter assignari iussimus. Signum Domni Berengarij Piissimi Imperatoris. (Ibi Monogramma) *Iohannes Episcopus & Cancellarius ad vicem Ardingi Episcopi & Archicancellarij recognoui & subscripsi. Data* XII. *Kalend. Nouembreis anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo septimo decimo, Domni verò Berengarij Piissimi Regis tricesimo, Imperij autem sui secundo, Indictione quinta, Actum in Piscaria in Christi nomine feliciter. Amen.* Ibi depictus est Berengarius Imperator cum tunica talari cincta & cum trabea, coronatus, sedens in sella Regia cui puluinus impositus, sceptrum dextrâ tenens, sinistrâ manu longum volumen chartarum à Monachis Casauriensibus suppliciter sibi oblatum comprehendens confirmantis more modóque. Ad quæ Chronici Casauriensis auctor, Iohannes eius loci


Monachus hæc adnotat. *Hac tempestate nutu Dei quidam Imperator Augustus nomine Berengarius accessit ad has regiones. Quem adierunt Fratres,* (Casaurienses) *& depositis coram eo suis miseriis & ruinâ Monasterij, & gloriâ in qua fuerat temporibus Ludouici: acceperunt Præceptum ab eo vt Abbatem eligerent, & quæcumque de iure Monasterij fuerant recolligerent, congregationem ad priorem statum reducerent, & nihil de dignitate Monasterij perire permitterent. Sanè ipsa Præceptalis pagina, quam de libertate, rebus & dignitatibus Monasterij ad instar priorum Imperatorum idem Augustus fieri iussit, sigillo & signo nominis eius fuit impressa & insignita, & Monasterio porrecta & habita: & eius exemplo in instrumentali volumine pro recordatione descripta sic est.* De eligendi tamen Abbatis facultate Monachis data, nihil in superioribus litteris Berengarij inuenitur: itaut si Iohannes Chronici auctor non errauit, aliquid in his litteris desiderari & omissum esse à librario videatur: sed apertè *Imperatorem Augustum* seipse ibi Berengarius appellat, & annis regni sui in Langobardia annos imperij sui subiungit, Domiúmque Ludouicum iuniorem Augustum *consobrinum* suum quater appellat: ne quis dubitet ipsum & Imperatorem exstitisse, & Imperatorio Caroli Magni genere ortum esse.

- *Syrtibus atque manu sumtas includere arenas.*] è Syrtibus sumtas arenas manu includere.

Mille mihi ſatis eſt metris tetigiſſe labores.] Sufficit mihi mille verſibus labores Berengarij Principis, pugnas, victorias, incommoda etiam ipſius, & triumphalem in Vrbem aduentum promotionémque ad Imperium enarrauiſſe. Verſus ſuos non accuratè numerauit Panegyriſtes. Sunt enim mille & LVIII. quibus non adnumerantur Prologi verſus XXXII. ſeu XVI. diſticha.

Mæuius atque licèt videar, vos eſte Marones,
Et poſt Imperij Diadema reſumite laudes.] Hortatur iuuenes Poëta, quibus & ſanguis calidior & vena melior ſit, ad laudes Berengarij canendas, & ait ſe vſque ad Imperatoriam coronationem de tanto Principe pro viribus ſuis retuliſſe: ipſos ſibi ſuccedere, & res à Berengario poſtea geſtas feliciore ſtilo perſequi oportere. Quæ verba indicant, & ſenem hunc Poëtam & Berengarij æqualem fuiſſe.





ADALBERONIS
EPISCOPI LAVDVNENSIS
AD
ROTBERTVM
REGEM FRANC.
CARMEN

AB HADRIANO VALESIO
è veteri Codice nunc primùm erutum & notis illustratum.



ADALBERONIS
EPISCOPI LAVDVNENSIS
AD
ROTBERTVM
REGEM FRANC.
CARMEN.



EGI *Rotberto sic Præsul Adalbero scribo,* PRÆSVL.
Præsulis in senio. Fratrum Lauduni-cus ordo,
Flos iuuenum fructúsque senum te mente salutat.
In tabulis describe tui per singula cordis,
Quanta Deus tibi concessit, vel qualia misit.
Dispice si meritò, quid verum sit trutinando.
Patres namque tui longè Rex Induperator.
Lac tibi sugenti dat nutrix Induperatrix.
Mundus adhuc puero Dominum metatur & omnis

Congaudet, plaudit manibus; lætatur, & optat
In Regem sibi, mox concordi voce coronat.
Præstolatur in hoc veniant vt tempora pacis.
Lubrica tunc adolescentis transiuit & ætas:
Flore iuuentutis tua iam resplendet imago.
Forma super cunctos nobis speciosa videtur.
Debilis in nulla membrorum parte videris.
Quamuis mole grauis, tamen es cum robore leuis.
Lætatur vulgus, gaudent etiam sapientes.
Plurima sub pedibus tibi fortia regna iugauit.
Quid quereris? Quid fraudauit? Quid dicere mussas?
Quod genus attribuit, dirimit non vlla voluntas.
Stemmata nobilium descendunt sanguine Regum.
Regibus & ducibus bona laus est, nobilis ortus.
REX. *De forma satis est & de virtute locutum.*
Est animæ virtus potior quàm corporis vlla.
P. *Dicendi spatium petimus modò, nilque reponas.*
Pace tua, pie Rex, quæ sunt dicenda precamur
Ne spernas, in me quia viscera contremuerunt.
Multas cor mærens lacrimas, suspiria prodit
Os tremulum: facies suffert nec dicere crispa.
Corporis hic, vultûs, vocis moderatio nulla.
Versibus exiguis tantum temtabo dolorem.
Scripta patent, celebres quæ mittunt Crotoniatæ.
Desuper est titulus lex antiquissima scriptus.
Præcipiunt, vi cogatur quod sponte negatur:
Vt placet imperio, sic se transformet & Ordo.
Rusticus ille, piger, deformis & vndique turpis
Pulchra cum gemmis ditetur mille corona.
Iuris custodes cogunt portare cucullas:

Orent,

Orent, inclinent, taceant, vultúsque reponant.
Nudi Pontifices aratrum sine fine sequantur,
Carmina cum stimulo primi cantando Parentis.
Præsulis & si forte vacet locus, inthronizentur
Pastores ouium, nautæ, quicumque sit ille.
Sit tamen hoc præsubtili ratione cauendum:
Nullus Episcopium diuina lege peritus
Temtet, sed sacris Scripturis euacuatus,
Et studiis quem nec constrinxerit vna dierum:
Alphabetum sapiat digito tantùm numerare.
Hi proceres: Præceptores hos mundus adoret.
Et iuuet, vt celebres nec Reges excipiantur.
Præcipiunt coram, sed clàm cum fraude susurrant.
Regula si stabilis diuum permanserit ista,
Disciplina, vigor, virtus, mox & decor omnis
Ecclesiæ fulgor pauco sub tempore verget.
Publica res; quæ sic planè sic ducitur, æquè
Legibus exstinctis in pace sepulta quiescet.
Luxus; & incestus, furtum tunc, cetera surgent,
Libertas delinquendi, tunc crimina stabunt.
Excludantur & hi, quos sola scientia comit,
Christi conseruos & quos sapientia nutrit,
Et quibus apparent introductoria sanæ
Doctrinæ, quæ depromit post terga cicatrix:
Sacra si magnus Fidei surrexerit error,
Omnis censurâ Conuentus sint alieni:
Consultu Regis hi præcidantur ab omni:
Omnibus egressis thalamum post ostia seruent.
Hoc solum rutilo præceptum scribitur auro,
Vt Procurator Regis, mundana ministrans,

Sit piger, ignauus, modica virtute repletus.
Hic aliena petat, repetat sua, nil tribuendo:
Et iugiter maneat diuisus sorte iugali:
Ni Regis heredipeta non spes sibi constet.
Est antiqua patrum, tradunt cùm sueta, voluntas,
Vt casti, sobrij sint custodes thalamorum:
Qui nescit molere, Regi sit carior ille.
Cæsaris his maiora iubet descriptio Magni.
Deuiet ille sacer de sede Monasticus ordo:
Vxores ducant pulcras, & prœlia temtent.
Territus edictis, meditans quò tendere possem
(Rectores rerum placet accersire mearum.)
Omnia singultu guttur quatiente reuolui,
Legibus è patriis credens omnino remota:
Priscis temporibus quia non audita fuerunt.
Vsibus exceptis procuratoribus aptis.
Mittere proponunt mox explorare Magistrum.
Gallia fert Monachos, quos Patrum regula nutrit.
Ad Monachos Monachus transmittatur ....
Hic sapiens, hic est sollers, verbóque fidelis:
Qui solitus semper leges seruare paternas:
Flectere scit prudens animosos ad pietatem.
Consilium cautum sequitur (non est mora) factum.
Vespere progreditur, tum mane reuertitur ad nos,
Et festinus equi spumantia colla reliquit.
Quoquò quò præsul, bona nutrix, heus puer, vxor?
Est incompositus posita iam veste priore.
Pilleus excelsus de pelle Libystidis vrsæ:
Et vestis crurum tenus est curtata talaris,
Finditur anteriùs, nec parcit posteriori.

Ilia baldringo cingit strictissima picto.
Multiplices & res multæ per cingula pendent:
Arcus cum pharetra, forceps, & malleus, ensis,
Ignitúsque silex, ferrum quatiens, simul ilex.
Ossa superficiem stringit diffusa deorsum.
Saltibus incedens (terram calcaria pungunt:
Cœpit summa pedum cùm tortis tendere rostris.)
Ingreditur, noti Fratres quem nosse laborant.
Concurrunt ciues, & larga palatia complent.
Pontificem sic deformis tunc sistitur ante.
Esne meus Monachus tu, quem misi? ....
Pugnos declinat, cubitos extendit in altum:
Erexit cilium, torquens cum lumine collum.
Miles nunc, Monachus diuerso more manebo.
Non ego sum Monachus, iussu sed milito Regis.
Nam dominus meus est Rex Oydelo Cluniacensis.
R. *Tune cata to sypomenon causam meditaris?*
In studiis memini formarum nosse figuras.
P. *Non tua præpediat nos indignatio feruens.*
Præceptum Domini liceat cum pace referre.
Sara nimis gens cenorum de more petulca
Regnum Francorum manibus ferroque subactum
Occupat, & rodit quidquid sibi Gallia nutrit.
Vndique terra rubet, roseo madefacta liquore.
Sanguine torrentes nimia de cæde redundant.
Ecclesiæ labor: interius decus omne dicatum,
Corpora Sanctorum volitant consperså per auras.
Sunt auium, sunt iam consortia facta luporum.
Vastat Episcopium cum strage Turoniacense.
Martinus plorat, tutorem clamitat idem.

Oidelo compatitur, ſimili qui iure tenetur,
Hic Romam petiit Monachis orare ſalutem.
Conſcendunt voces, fremitum dant Cluniacenſes:
Clamant atque monent: Subitò diſpone Magiſter
Arma ſubire tuis, & quæ præponere debent:
Quæ ſint exteriùs, & quæ ſint interiora.
Lunaris pendere priùs debet tua pelta:
Inſuper apponas tibi loricámque trilicem.
Lubrica ſuſtineant galeam cinctoria lumbi:
Corrigiis caput adſtrictum mucrone corones:
Spicula poſt tergum teneas, tum dentibus enſem.
Et cogit iuuenes lentos adſcendere currus:
Atque ſenum præcepit equos conſcendere turbam.
Adſcendant aſinum bini, denique camelum:
Si non ſufficiunt, bubalum conſcendite terni.
Milia mille viri procedunt ante Quirites.
Res agitur ferro ternis prolata diebus.
Signifer in medio properus non ſtertere cœpi:
Diſſutis malis, ſtatum pugnando reieci.
Neſcio per ſuperos, manibus quot milia ſtraui.
Iupiter ille duos numerat meliore lapillo.
Tertius ille Deo Marti non rite dicatur.
Cuſpide truſus equo, vexillum turpè reliqui:
Cum reliquis fugiens, genitalia regna petiui.
Hæc patrata ſcias in prima luce Decembris.
Hoc itidem Martis temtabitur ante Kalendas.
Militiæ princeps ad te nos Oydelo mittit.
Te Dominum Monachorum bellicus ordo ſalutat:
Admonet inuitans acies vt bella perornes.
Agmine conſeptus, mandatum concitus imple.

Armis te de ʒ antè mori quàm rura colendo.
Mittere perplures, quàm frondes Asia spondet,
Africa nigra, maris bibulas quàm litus arenas,
Pars Europa minùs non iactat tertia mundi.
Quid tibi vis rabies tætris dignissima Claustris?
Figite per corpus, fugiat ne liuidus, vngues.
R. *Crede mihi, non me tua verba minantia terrent.*
Plurima me docuit Neptanabus ille magister,
Labitur aula tholis rutilat quò splendida fuluis.
P. *Per partes scindunt vestem, quam quisque tenebat.*
Credere vera dehinc super his nec falsa notaui.
Ordinis est igitur hæc transformatio Regni.
Vnusquisque potest aliis coniungere rebus
Sese quod natura negat sapientia monstrat.
Spes iuuenum, ventura dies, qui discere nolunt.
Causa senum, sine spe pueriles plangere cursus.
Omnibus in rebus, si sollers, omnia scirem,
Heu miser insipiens, quod me nunc pænitet vrget.
Non rastros noui, nec tristia prœlia vidi.
Res mala: quod scio, defendunt; quod nescio, cedunt.
Si sic contigerit, vacuus sufflabo fauillas:
Aut Regis cineres, aut nostras flabo Camenas.
R. *Si Musas celebres, clament Musarde Sacerdos.*
P. *Persius indignans promet tum, lusca sacerdos.*
Qui legit, sapit officium Musæ sine Musis.
Velle bonum sacris sed delectare loquelis
Instanter cupiens, horum non immemor vmquam,
Iustis inueniar similis, hoc iudico semper.
Eligo nosse Deum, cunctis preferre quod opto.
Prospera si tibi sunt, non tædeat hoc reminisci:

Rex Regum temet quanto ditauit honore.
Munera concessit pius omnibus his meliora,
Partem namque sui, quæ pars sapientia vera:
Per quam scire potes, quæ sunt cælestia semper.
Quid sit Hierusalem debes tu scire superna,
Quid lapides, muri, portæ, structura quid illa,
Et quibus illa manens sit ciuibus ædificata.
Ordine distincto regitur, non milite pauco.
Ast aliis alios præfert discreta potestas.
Singula dissolui, propter fastidia longum.
R. *Scire meum nihil est, semper sed numinis almi.*
Mens humana, Deo semper vicina videtur.
Non se nosse valet, qui non vult scire supra se.
Illa potens est Hierusalem (puto) visio pacis.
Rex Regum regit hanc, Dominus dominatur & illi.
Eius cùm partes sibi diuidit, est in idipsum.
Porta nitens aliquo non clauditur vlla metallo.
Hìc muri sunt absque petris; lapides sine muris:
Viui sunt lapides: aurum viuit platearum.
Splendidiùs rutilans obryzo creditur auro.
Ciuibus Angelicis, hominum struitur quoque turmis.
Pars quædam regnat, quædam pars altera spirat.
Hoc tantùm scio, sed super his maiora requiro.
P. *Assiduus lector sibi plurima nosse peroptat.*
Torpens & tardus, solet immemor esse priorum.
Rex Augustini libros dilecte reuolue.
Vrbs excelsa Dei quæ sit, dixisse probatur.
R. *Inco precor mihi dic, Præsul, qui sint ibi latus:*
Princi pares & si qui sunt & in ordine patus.
P. *Quære Dionysium, qui dicitur Areopagita:*

Ille duos super his desudat scribere libros.
Præsul & ille sacer loquitur Gregorius inde,
Iob magnæ scrutans fidei Moralia Regis.
Idem Sermonem complens explanat apertè
Hic & Ezechielis super his in fine patenter:
Hoc apices ipso quos Gallia dante recepit.
Visibus humanis non est prælatio talis.
Quæ sit dicemus posthæc intentio nostra
Mystica: distinctus disponitur ordo supernus:
Cuius ad exemplar terrenus fertur haberi.
Ecclesiæ veteris populi sub Lege ministros
(Nomine quæ perfunctorio Synagoga vocatur)
Per Moysen Deus instituit, quos ordine rexit.
Historiæ narrant sacræ, qui constituantur.
Ecclesia Regnum cælorum dicitur ordo:
In qua disposuit mundos Deus ipse ministros.
Et noua lex inibi colitur sub Principe Christo.
Hoc & Pontificum fixit censura fidelis:
Qualiter, à queis, & quales ibi constituantur.
Ecclesiæ status hinc fruitur si pace quieta,
Ipsum legibus est aptare necesse duabus:
Diuinæ quas humanæ discretio format.
Lex diuina suis partes non diuidit vllas.
Format eos omnes æquali condicione,
Quamuis dissimiles pariat natura vel ordo.
Non minor artificis quàm Regis proles herilis.
Hos pia lex omni mundana sorde sequestrat.
Non scindunt terram, non stant post terga iuuencum.
Vitibus, arboribus, vix hortis infamulantur.
Non sunt carnifices, caupones, neque subulci,

Hircorum sectatores, non opiliones,
Nec cribrant Cererem: hos non coquit vncta lebeta.
Terga suum per dorsa boum non serpere cogunt.
Non sunt lautores, contemnunt feruere vestes.
Sed mentes purgare suas & corpora debent:
Moribus ornati, custodes sunt aliorum.
Lex æterna Dei sic mundos præcipit esse:
Iudicat expertes seruilis condicionis.
Hos Deus adsciuit seruos sibi, iudicat ipse:
Castos & sobrios de cælis clamitat esse.
Omne genus hominum præcepto subdidit illis.
(Princeps excipitur nullus, cùm dicitur omne.)
Quos iubet vt doceant sectam seruare fidelem;
Et mergi doctos sacri sic fonte lauacri.
Constituit medicos, si vulnera computruerunt,
Per quos sermonum cauteria sunt adhibenda.
Corporis ille sui sacramentum sanguinis atque
Iussit quò solus tractaret rite Sacerdos.
(Maxima commisit, quos se tractare rogauit.)
Voce Dei quod promissum, non esse negatum
Credimus & scimus, ni quos sua crimina pellunt,
In cælis primas debent conscendere sedes.
Hos decet euigilare; cibis & parcere multis:
Pro populi sempérque suis orare ruinis.
Pauca super Clericis dixi, sed plura reliqui.
Æquales igitur sunt omnes condicione:
Vna domus Domini lege si clauditur vna.
Res Fidei simplex, status est sed in ordine triplex.
Lex humana duas indicit condiciones.
Nobilis & seruus simili non lege tenentur.

Nam primi duo ſunt, alter regit, imperat alter.
Quorum præcepto Reſpublica firma videtur.
Sunt alij, quales conſtringit nulla poteſtas:
Crimina ſi fugiunt, quæ Regum ſceptra coërcent,
Hi bellatores, tutores Eccleſiarum,
Defendunt vulgi maiores atque minores,
Cunctos & ſeſe parili ſic more tuentur.
Altera ſeruorum diuiſio condicionum.
R. *Hoc genus afflictum, nil poſſidet abſque labore.*
Quis ſignis abaci numerando retexere poſſit
Seruorum ſtudium, curſus, tantóſque labores?
P. *Theſaurus, veſtis, cunctis ſunt paſcua ſerui.*
Nam valet ingenuus ſine ſeruis viuere nullus.
Cùm labor occurrit, ſumtus & habere peroptant,
Rex & Pontifices ſeruis ſeruire videntur.
Paſcitur à ſeruo dominus, quem paſcere ſperat.
R. *Seruorum lacrimæ, gemitûs non terminus vllus.*
P. *Triplex ergo Dei domus eſt, quæ creditur vna.*
Nunc orant alij; pugnant; aliíque laborant:
Quæ tria ſunt ſimul, & ſciſſuram non patiuntur.
Vnius officio ſic ſtant operata, duorum
Alternis vicibus: cunctis ſolamina præbent.
Eſt igitur ſimplex talis connexio triplex:
Sic lex præualuit, ſic mundus pace quieuit.
Tabeſcunt leges, & pax iam defluit omnis.
Mutantur mores hominum, mutatur & ordo.
Rex tunc iure tenes lancem, tunc protegis orbem,
Procliuos noxis, cùm legum ſtringis habenis.
R. *Iam caput ecce tuum candens imitatur olorem.*
Hæc natura ſenectutis dixiſſe probatur.

Credere non sanum talis natura coëgit.
P. *Altera me stimulat: senio non deficit illa.*
R. *Quot homini dantur naturæ? Dic.* P. *Puto binæ.*
R. *Sed tamen his, quas multiplices scis esse, duabus*
Ex his quæ loquitur, cuius sint verba, repone.
Grammaticus simplex, nedum Dialecticus illex
Valdè recordaris studiorum pauca priorum.
P. *Qui paruum meminit, non obliuiscitur omnis.*
R. *Eius qui stimulat, senio nescis reminisci.*
P. *Dicere quæ nollem, Rex infestando perurges.*
Spiritus hic resonat. Non me dementia torquet.
Si natura senum cogit, non culpor acutè.
Naturæ finem non ponunt arte periti.
Artificem quidam dicunt ignem Sapientes.
Est aliis Natura, Dei præclara voluntas.
Nam natura Dei, Deus est: hominum quoque non sic.
Si verè Deus est, est immutabilis idem.
Immutare suum quod & est, non desinit esse
Naturâ summi Patris. Vnumquodque creatum
Sumit naturam, cùm primum suscipit ortum.
Corporibus quæ iunguntur, sensum patiuntur
Quædam: sunt aliæ quædam, quæ non patiuntur.
Et si mutatur corpus, mutatur & illa:
Cum pereunte perit, quo permanet illa manente.
Iungitur hæc incorporeis, sed & altera rebus.
Non pereunt illæ, quæ corpore non sociantur.
Res hominis natura duplex reddit duplicatas.
Corpore iunguntur hominis, sed separe ductu.
Altera iungitur hac, sed & altera iungitur illac.
Quidquid erit contrà, non hæc, non illa probatur.

Territa, naturam vitans effatur asella.
Passio nec, natura sapit nec corporis vlla.
Vnam quæ circa versatur cognitionem
Corporis, à natura aliam non percipit vmquam:
Sed quam non nouit, cognosci fertur ab illa.
Intellectibili sensu sunt hæc capienda:
Sunt intellectûs, per quem noscuntur vtraque.
Dico necessarium, quod qualibet exigit harum.
Argumenta necessariò dicuntur & ista.
R. *Cuncta necessariis argumentantur ab istis?*
P. *Malleus alter adest, qui causa probabilis hic est.*
Inueni quod disposui, non immemor horum.
Eloquor in præsens: & quod pronuntio, verum.
R. *Quod non est verum, non est fas dicere verum,*
Fabula non similat verum, nec dicitur esse.
P. *En dixi verum. Scis non excedere verum.*
Nænia nulla meum nec fabula mulcet amorem.
Non sic gesta scias, sed cuncta geri potuisse.
Sistere cuncta velim quamuis sub themate vero,
Hic tamen est extra quædam digressio causam.
Respicit ad causam, causam sed dicitur extra.
A proprio sensu non hæc aliena videtur.
Finis & officium sapit: est non fabula, sed res.
.... præcessit, veniat persuasio iuncta.
Nunc pro lege Dei certando per omnia Patris
Iure salutifero sapientes & moderati
Præmia vel pœnas quærant: ratione potentes
Accipiant, æqui vel quid patiantur iniqui:
De dubiis certent, de certis non dubitantes:
Et mala defendant: veniunt extrinsecus illa.
Oratoris inest tibi, Rex, concessa facultas.

Nunc demonstras, tum deliberat ordo Potentum,
Discutiens affirmatè cum Relligiosis
Iudiciis, à quo possint res infitiari.

R. *Iudicium duplex sequitur correptio triplex.*
Antea res quales nobis, translatio, finis;
Et coniecturæ quò discernantur oportet.
Causa nec est indiuiduis, tamen est specialis.

P. *Quatuor has non inuenies, quas hicce requiris,*
Sed status est vnus legum, contraria sumens:
Et causam partémque suam puto desuper esse.
Rite pedes posui: surgit, dum figitur alter.
Æstimo quòd tetigi, non à ratione recessi.
Pandere non moriens nos hæc natura coëgit.
Immeritò culpor, hac vi quia dicere cogor.
Quid tibi peccaui? Naturæ iura repleui.
Dignè tristaris, qui Rex seruire iuberis.
Francorum primus tu seruus in ordine Regum.
Hic malè turbatur, qui non sua verba veretur.
Regnum Francorum Reges sub tempore patrum
Subiugat, & semper sublimi pollet honore.
Regum sceptra patrum nullius sceptra coërcent:
Quique regit, gaudens virtutibus, imperat æquè.
Nouimus Imperium iam Regibus esse fugatum.

R. *Gratia nunc Summo, per quem regnare peropto.*
Non meritis concedo meis; sed laude perenni
Gloria, laus & honos, virtus sit cuncta regenti:
Poplitibus flexis supplex, quem semper adoro:
Vt nobis liceat leges seruare paternas.

P. *Lex diuina vetat, quæ corrigit inter vtrasque.*
Altera permittit, iubet altera: suntque minores.
Iudico maiorem, quam tradunt posteriorem:

Vtile quæque necessarium conferre videtur.
Ad res pertineat plures quæ semper honestè,
Fortior & quæcumque grauissima sit, teneamus.
R. *Iudicet Omnipotens: mecum diuina sit illa.*
P. *Vndique pax bona post certamina pósque labores:*
Et status Ecclesiæ per se sua iura tenebit.
Descriptas, & non alias Respublica leges
Possideat: sua regna Basilius & Benedictus
Obseruent: teneant, quidquid sua Regna iubebunt.
Pontifices vmquam celebrent non rura deinceps.
Sic sua iura tenent, si non ruralia curent.
Iustitiæ regimen noster non audeat ordo
Linquere, sed totis semper se nisibus aptet:
Constituat iustos, & non pro lege capaces
Rectores inopum, miserûm necnon viduarum.
Nullus ad Ecclesiam noctis nisi tempore pergat
Ire semel: liceat cunctis orare diebus.
Indicet, & spectet præsentes atque futuros.
Pro meritis omnes assumant emolumentum
(Excipiar solus vestra cum pace) fideles.
Septenas liceat laudes proferre per horas.
Hostia cum votis. R. *Hæc sit permissio Patris,*
Cùm Ligeris Calabros tentabit lingere campos.
Et torrens Tigris Hispanica ceperit arua.
Ætna rosas cùm producet vel lilia stagnum.
Talia si veniunt: tunc hæc ventura timeto.
Gratia confirmet te Præsul Adalbero Christi;
Nostra simul: meritò Regali munere dignus,
Non quia deliras, sed nobis allegorizas.

Explicit carmen Adalberonis Episcopi ad Rotbertum Regem Francorum.



HADRIANI VALESII IN CARMEN ADALBERONIS EPISC.

NOTÆ.



ANTE aliquot annos nanctus sum veterem codicem exiguum, Pauli Petauij V. C. nomine manúque notatum, quo Adalberonis Episcopi Laudunensis Carmen ad Rotbertum Regem Francorum, Chartarium Lirensis Monasterij, Vita Sugerij Abbatis, Epistola Stephani Comitis ad Adelam coniugem, Iudicium Varennense, vel vt vulgò vocant *Placitum Ermengardis Reginæ & Principum Ludouici filij Bosonis anno* DCCCXCVIII. *Indictione* VIII. item *Percunctatio siue electio Episcoporum ac Clericorum necnon populorum ad Regem consecrandum*, vnà cum *ordinatione Reginæ* præter cetera continebantur. Ex his Vita Sugerij Monasterij S. Dionysij Abbatis, à Francisco Chesnio dudum nî fallor est edi-

ta : Iudicium Reginæ Ermengardis Ludouici iunioris Augusti filiæ, R. Bosonis vxoris nuper quidam vulgauit : Epistolam Stephani Comitis Carnutum & Blesensium ad coniugem Adelam & communes filios de obsidione Antiochiæ, per Lucam Acherium in tomo Spicilegij IV. anno MDCLXI. publicandam curaui. Inter reliqua quæ nondum in lucem exierunt, maximè eminet Carmen Adalberonis : in quo Episcopus cum R. Rotberto colloquitur, & quæ in Regno Francorum cùm à ceteris cuiusuis professionis hominibus, præsertim à Monachis, tum à Rege ipso malè gerebantur, nunc allegoricè nunc ironicè exponit. Hoc Carmen & interlocutione Regis ac Episcopi, & incultis ac triuialibus versibus, hoc est scriptoris vel potiùs temporum vitio, & perpetuâ ferè allegoriâ aut ironiâ haud parum quidem videtur obscurari: quædam tamen memoriâ dignissima cùm de Regis Rotberti genere, formâ, & virtutibus, tum de magnitudine & viribus atque autocephalia Regni Francici, nonnullos etiam ritus moréfque Francorum ætatis suæ haud cuiuis notos continet : vt si non verborum, certè rerum pondere, & auctoris sui nomine, & sæculorum ampliùs sex vetustate censeri, ac pro thesauro haberi debeat. Quare hortanti me Fratri ad editionem huius Dialogi, facilè assensi, nec diutiùs in scedis meis Adalberonis opus latere passus sum. Carmen igitur DCL. annorum car-

mini ante DCCXL. annos composito; laudibus Berengarij Augusti natione Franci laudes Rotberti Francorum Regis adiunxi atque subtexui, quas & breuibus notis illustrare conabor. Loquentem Adalberonem Præsulem P. litterâ; Rotbertum Regem R. lit. designaui.

Regi Rotberto sic Præsul Adalbero scribo, Præsulis in senio.]

Adalbero hic, quem & Ascelinum vel Azelinum dictum esse Guibertus Nouigenti Abbas in libro III. de Vita sua affirmat, natus in Regno Lotharij, seu Francus Lothariensis fuit, & beneficio Regis Franc. Lotharij die Paschæ anno DCCCCLXXVII. Roriconi in Episcopatum Laudunensis Ecclesiæ iuuenis successit: atque vt erat homo pecuniosus ac bene nummatus, Ecclesiæ suæ & Clero Laudunensi multa & magna contulit: sed liberalitatem, doctrinam, ceterásque dotes suas insigni perfidiâ fœdauit. Quippe Carolum Ducem Lothariensium XXXVII. aut XXXVIII. agentem annum, (*Regem* ac *innocentem puerum* Guibertus vocat) cuius Consiliarius erat, cuius in verba iurauerat, die Cenæ Dominicæ anno DCCCCXC. Hugoni Regi Francorum portis Lauduni nocte patefactis tradidit, atque ea ratione Hugonem votorum suorum ac regni compotem fecit. Quare *vetulus traditor*, & *falsus Episcopus Lauduni* à quibusdam historicis nuncupatur. Anno Christi DCCCCXCI. regni D. Hugonis Aug. & Excellentissimi

lentissimi R. Rotberti V. Indictione IV. Pseudosynodo in agro Remensi habitæ idem interfuit atque subscripsit: in qua Arnulfum R. Lotharij filium Remorum Antistitem, quem ipse antea solus reconciliauerat, cum Consacerdotibus suis damnauit, ac Archiepiscopali honore priuauit. Eidem Adalberoni Dudo S. Quintini Clericorum Decanus, tres libros de Gestis Nortmannorum, ad Richardi Maioris N. Ducis obitum, seu ad annum Christi DCCCCXCVI. vel (si Dudoni creditur) MII. deductos dicauit epistolâ, quâ eius genus, sapientiam, atque virtutes, præcipuè bonitatem sanctitatémque laudat. Ex quo apparet, Adalberonem vel Ascelinum post annum MII. adhuc vixisse & Episcopum Laudunensem exstitisse. Azelinum seu Adalberonem Laudunensis Ecclesiæ Antistitem Siluester iunior Episcopus Romanus (qui anno DCCCCXCVIII. sedere cœpit) *per epistolam Regis Rotberti* (quod miror) & Episcoporum publicis criminibus insimulatum esse ait, & Romam ad dicendam caussam euocauit. Ipse Regia vi per quorumdam factionem Sede se sua exclusum esse queritur, non tamen Episcopali officio priuatum. Sed has omnes veluti tempestates feliciter elusit, ac gratiam Principis maturè recuperauit: cui amicus atque etiam familiaris fuit, vti hoc Carmen docet: quod doctus pro captu temporum Episcopus ad Regem litterarum studiis eruditum, ac

R

amantem studiosorum, sicuti Glaber Rodulfus & Aimoinus docent; ad iuuenem senex composuit. Sic enim de se ipse refert:

Regi Rotberto sic Præsul Adalbero scribo,
Præsulis in senio.

Sic de Rotberto Rege Francorum,

Flore iuuentutis tua iam resplendet imago.

Item de ipso Rotbertus:

Iam caput ecce tuum candens imitatur olorem.

Cùm autem *Regi Rotberto scribere* se dicat Adalbero, Regem Rotbertum vbique alloquatur, Hugonis verò nullam vsquam mentionem faciat: apparet post annum Christi DCCCCXCVIII. seu post Hugonis Regis Francorum Rotberti patris obitum, carmen istud ab eo esse compositum; Odilone Cluniacum regente, cuius Abbatis meminit, quem constat Maiolo anno Domini DCCCCXCIV. Ottonis III. imperij XI. V. Idus Maias mortuo successisse. Ceterùm Azelinus amicum præter ceteros habuit Fulbertum Carnutum Episcopum, qui ipsum in epistola XLV. *clarum Laudunensium Præsulem* appellat, *& magnum Patrem*: rogátque eumdem, *cui Deus bene suadendi copiam incomparabilem dedit, vt Regem excitet* ad vindicandam Subdecani sui cædem. Amatus est & à Guillelmo Aquitanorum Duce & Comite Pictauorum, à quo non rarò litteras accepit.

Fratrum Laudunicus Ordo,
Flos iuuenum fructúsq; senum te mente salutat.

Hoc est Laudunensis Ecclesiæ Clerici cùm maiores tum minores, qui fratres in Christo mei sunt, te non lingua sed votis ex animo salutant. *Seniores* seu *honoratiores Clerici* vocabantur Presbyteri & Diaconi; *iuniores Clerici*, Subdiaconi & ceteri inferiorum graduum. Illos Gregorius in capite XLIX. libri V. Historiæ *maiores Clericos*; hos *minores* appellat. Fortunatus in Carmine X. libri II. ad Clerum Parisiacum vtrosque vti Adalbero, *senum* & *iuuenum* appellatione designat.

In medio Germanus adest Antistes honorè,
Qui regit hinc iuuenes, subrigit inde senes.

Nec absurdè Adalbero iuuenes floribus, senes fructibus comparat. Ver enim iuuenum est, autumnus seniorum.

Patres namque tui longè Rex, Induperator] Haud falsò dictum hoc ab Adalberone. Nam Rotbertus Hugonem patrem, Rotbertum proauum, & proaui fratrem Odonem Reges Francorum habuit: maiorem amitam nomine Emmam Francorum etiam Reginam, R. Rodulfi vxorem. Idem per auiam Hadeuuidem vel Hauuidem patrem eius Heinricum Saxonem, cognomine Aucupem Regem Transrhenanorum seu Francorum Orientalium; fratrem eius & fratris filium ac nepotem Imperatores Ottones propinqua cognatione contingebat: cùm Hugo Rotberti pater Francorum Rex Imperatoris Ottonis II. frater amitinus fuerit, Impe-

rat. Cæsarem Ottonem I. auunculum, auum maternum Heinricum Regem Transrhenanum habuerit: Imperator Otto III. & Rotbertus noster amitinorum fratrum filij exstiterint. Præterea quoniam Hadeuuidis soror erat Gerberga, ex Ludouico Rege Francorum posteriore viro suo Regis Francorum Lotharij mater, Ludouici auia: pater quidem Rotberti nostri Hugo tam Lotharij R. F. quàm Ottonis II. Augusti consobrinus exstitit: ipse autem Rotbertus, & Ludouicus Lotharij filius qui vltimus Carlouingorum apud Francos regnauit, consobrinis geniti vel consobrinorum filij fuere. Quare meritò subiicit Adalbero.

Stemmata nobilium descendunt sanguine Regum.
Lac tibi sugenti dat nutrix Induperatrix.]

Adhelaidis Hugonis Regis Francorum vxor, Rotberti nostri mater, forsitan pro Regina *Imperatrix* vocatur ab Adalberone impropriè, vt Hugo vir eius *Domnus Hugo Augustus* dictus est pro Rege in Synodo anno DCCCCXCI. habita in Basilica S. Basoli: cuius Synodi actorum hoc est initium, *Anno ab I. D. N. I. C.* DCCCCXCI. *Indictione* IV. *Anno* V. *regni Domni Hugonis Augusti & Excellentissimi Regis Rotberti congregata est Synodus in Remensi territorio.* Sic ab Helgaldo in capite XIII. Rotbertus noster amborum filius, *Francorum Imperator* appellatur, eius *minæ Imperiales*; *iussio Imperatoria.* Sic à Gerberto Lotharius Ludouici ex Ger-

berga filius, Rex Francorum, *Cæsar* nuncupatur in versibus tumulo eius inscriptis. Quæ autem fuerit Adhelaidis Rotberti mater, scire difficile est, cùm Helgaldus tantùm dicat genus eius inclytum ex Italia ortum esse, nec patrem matrémque eius nominet. Quidam recentissimi scriptores falsò existimant, Adelhaidem quæ Rotberti ex Hugone mater fuit, Lotharij Regis Italiæ filiam, Emmæ Lotharij Francorum Regis vxoris sororem fuisse. Adelhaidis enim ex priore viro suo Lothario Rege Italiæ filiam enixa est, nimirum Hemmam Lotharij Francorum Regis coniugem, Ludouici matrem; vt Odilo in Vita Adelhaidis Augustæ scribit: ex posteriore viro Ottone Aug. filiam sui nominis videlicet Adelhaidem ac tres mares genuit, quemadmodum Witichindus docet. Cùm ergo Lotharius Rex Langobardorum ex Adelhaide coniuge sua vnam tantùm filiam Hemmam nomine generauerit; haud dubiè Adelhaidis Rotberti nostri ex Hugone mater, filia Lotharij R. L. haberi non potest. Notandum autem est morem tum illustribus feminis fuisse, liberos suos suo lacte nutrire, & Adelhaidem quæ Hugonis nondum quidem Regis, sed certè tamen Ducis Francorum ac Comitis Parisiorum coniux esset, Rotberto filio mammas præbuisse, nec vllas paruulo nutrices adhibere voluisse, vt filij sui tota & integra mater esset.

Lac tibi sugenti dat nutrix Induperatrix.
Mundus adhuc puero Dominũ metatur & omnis
Congaudet.]
Mundus omnis Dominum te metatur, & adhuc puero congaudet.
Plaudit manibus, lætatur, & optat
In Regem sibi, mox concordi voce coronat.]
Qui Regem eligebant Episcopi & Comites Franci, Saxones, Langobardi, more omnes patrio seu Germanico futurum Principem plausu manuum honorabant, acclamationibúsque prosequebantur; deinde comprobabant vel (vt vulgari vtar verbo) collaudabant: tum fide à singulis ex ordine iureiurando promissâ, Regem benedicebant coronabántque; coronatum in solio Regio collocabant; in Regalem sedem elatum, debita gratulatione cultúque venerabantur. *Lætitia* apud Adalberonem ad acclamationes pertinet; *optio in Regem* ad collaudationem siue confirmationem. Plausûs manuum Gregorius meminit in libri Historiæ II. capite XLII. apud quem Franci Colonienses, *plaudentes tam palmis quàm vocibus*, Chlodoueum *clypeo euectum super se Regem constituunt*: etsi in codicibus Iolianis scriptum inuenio *parmis*. In Vita Heinrici Baioarij, I. eo nomine Imperatoris, II. Regis, quæ Adelboldi Traiectensis Episcopi scriptoris æqualis esse creditur, anno MIV. *Heinricus Rex ibi* (Papiæ) *à Nobilibus Langobardis qui ad suscipiendum eum*

congregati erant, per dignos applausus recipitur, & cum exsultatione totius ciuitatis ad Sancti Michaëlis Ecclesiam ducitur. Ibi Clerus, ibi Nobilium cœtus, ibi plebs vtriusque sexûs, omnes vnanimes vno ore Heinricum Regem acclamant, collaudant, & per manuum elationem designant. Collaudatus igitur coronatur; coronatus ex debito ab omnibus honoratur; ad Palatium deinde cum omni iucunditate reducitur. Rotbertus autem anno Christi DCCCCXXCVII. quum eum pater sibi Regni collegam adiunxit, *adhuc puer* erat, vt ait Adalbero, nimirum annorum circiter XVI. Quippe anno MXXXI. mortem obiit, & *sexagenarius* Helgaldo dicitur decessisse.

Flore iuuentutis tua iam resplendet imago.] Iuuenis Rotbertus seu incipientis iuuentæ erat, & adolescentiam emensus anno DCCCCXCVIII. cùm patrem amisit, & annum ætatis circiter XXVII. agebat. Quare Glaber Rodulfus auctor æqualis in libri II. capite I. ita de vtroque scribit. *Rex Hugo in pace Regno disposito, feliciter obiit. Erat namque Rotbertus Rex tunc iuuenis, prudens atque eruditus, dulcisque eloquio, ac pietate insignis.*

Forma super cunctos nobis speciosa videtur.] Fuisse Rotbertum ait Helgaldus *staturâ eminenti, planâ cæsarie*, seu rectis capillis, *naribus porrectis & patulis*, elatis humeris, formâ demum egregiâ ac verè Regiâ. Regis *Rotberti clara facies, & lætus adspectus* à Gerberto in qua-

dam epistola memorantur. Obesus nihilominùs fuit, ac ventre forsitan paullo proiectiore, ita tamen vt obesitas robori corporis agilitatique non officeret: si qua Adalberonis verbis fides.

Quamuis mole grauis, tamen es cum robore leuis.
Certè & Willelmus Nangiacensis Monachus Rotbertum *robustum iuuenem & agilem* vocat.

Plurima sub pedibus tibi fortia Regna iugauit.] Hic versus ad quintum versum refertur;

Quanta Deus tibi concessit, vel qualia misit.
Tibi Rotberte Deus fortissima Regna subiecit, Franciam, Burgundiam, Aquitaniam. Nimirum vt regnantibus in Francia Merouingis tria Regna Francorum fuerant, Neustria, Austria, atque Burgundia: ita post mortem Ludouici Pij Augusti diuisis inter plures Franciçæ ditionis prouinciis, Reges nostri Reges Francorum Occidentalium dici cœpti., & tria eis Regna nihilominùs attributa, Francia Occidua, seu Neustria, Burgundia quamquam valdè imminuta, & Aquitania. Hinc Abbo in libro II. scribit, Odonem R. *Franciam* seu *Neustriam, Burgundiam & Aquitanos* sibi subiecisse, *ternúmque* illud seu triplex *Regnum* vocat.

Sic vno ternum congaudet ouamine Regnum.
Et in consecratione R. Ludouici Transmarini Lauduni facta quam scriptam habeo, hæc inuenio. *O. S. Deus super hunc famulum tuum, quem supplici deuotione in Regnum pariter elegi-*

mus, benedictionum tuarum dona multiplica, quatenus &c. *vt Regale solium, videlicet Francorum, Burgundiorum, Aquitanorum sceptra non deserat, sed ad pristinæ fidei pacísque concordiam eorum animos te opitulante reformet.* Apud Frodoardum anno DCCCCLIV. *Lotharius puer Ludouici* huius *filius Rex consecratur, fauente Hugone Principe, ceterísque Præsulibus ac Proceribus Franciæ, Burgundiæ atque Aquitaniæ.* Rodulfus Glaber in libri II. capite I. *Congregatis in Aureliana vrbe Regia quibusque Francorum & Burgundionum Regni Primoribus*, Rotbertum à patre superstite Regem constitutum ait: Aquitanos omisit, quia tum rebellabant. In veteri Chronico inuenio, anno MLIX. Philippum iussu Heinrici patris Regem consecratum esse, *adstantibus Franciæ, Burgundiæ & Aquitaniæ Archiepiscopis & Episcopis* XXII.

Rusticus ille, piger, deformis & vndique turpis
Pulcra cum gemmis ditetur mille corona.]

Queritur, ni fallor, Adalbero homines obscuros & ignobiles, desides, deformes, & corpore animóque vitiosos, Abbates fieri, & mitrâ Episcopali gemmatâ vti, quam per ironiam *coronam* appellat. Eo priuilegio iamtum quidam Abbates fruebantur: quod ius mitræ ferendæ postea Vrbanus Papa II. Hugoni Abbati Cluniacensi anno MXXCVIII. contulit.

Iuris custodes cogunt portare cucullas:
Orent, inclinent, taceant, vultúsque reponant.]

Cucullа, oratio, capitis in ea & corporis *inclinatio*, aut humiproſtratio ad benedictionem accipiendam, *ſilentium*, oculorum totiúſque oris demiſſio Clauſtrorum ſunt, Monachíſque conueniunt. Indignatur ergo Adalbero, Optimates Francorum, atque ipſos adeò *cuſtodes iuris*, ſeu præfectos vrbium quos hiſtorici noſtri promiſcuè à duplici munere militandi iudicandíque nunc Comites nunc Iudices appellant, ab Abbatibus per ambitionem & auaritiam Monachos fieri; & pios homines ac ſimplices ab eis ad mutationem vitæ veſtíſque compelli. Cuius mutationis regnante Rotberto inſignia habemus exempla in Arnaldo Comite Ecoliſmenſi, & in Burchardo Comite Corboili atque Meloduni, qui ex Comitibus Monachi facti ſunt. Sed & antea Willelmus cognomine Caputſtupæ, Dux Aquitaniæ & Pictauorum Comes in Pictauenſi Monaſterio Sancti Cypriani monaſticam vitam profeſſus erat, deinde in Monaſterium Sancti Maxentij tranſierat, vbi circa annum DCCCCLXIII. dicitur obiiſſe.

Nudi Pontifices aratrum ſine fine ſequantur
Carmina cum ſtimulo primi cantando parentis.] *Nudi Pontifices ſequantur aratrum* & boues *cum ſtimulo, cantantes carmina primi parentis* Paradiſo expulſi. His verbis inuehitur Adalbero in Abbates, qui omnia pæne inſignia & iura Epiſcopalia ſibi vindicarent, Epiſcopóſque nu-

dos atque ſpoliatos, aliqua ex parte honore & felicitate ſua deieciſſent, & humiliores redegiſſent.

Præſulis & ſi fortè vacet locus, inthronizentur
Paſtores ouium, nautæ, quicumque ſit ille.] Ridet quidem Adalbero, ſed ridendo dicere verum nil vetat: & indignatur vir nobilis homines planè ignobiles, pudendis ac viliſſimis parentibus natos, diuinæ legis ac ſacrorum librorum ignaros, prorſus ἀγραμμάτους καὶ ἀναλφαβήτους. à Rege Rotberto ad Epiſcopale extolli faſtigium. Quod Glaber Rodulfus Cluniacenſis Monachus à Rotberto fieri conſueuiſſe ita ſcribit, vt Regem ob id laude digniſſimum iudicet. Rodulfi in libri Hiſtoriarum III. capitulo II. de Rotberto Rege Francorum verba hæc ſunt. *Hic itaque Rex vt ſapientiſſimus Dei cultor, ſemper fuit humilium amator, ſuperborúmque vt valuit oſor. Si qua enim Pontificalis Sedes in ſuo Regno proprio viduaretur Præſule, cura ei erat maxima, vt vtilis Paſtor licèt genere infimus reſtitueretur Eccleſiæ, potiuſquàm nobilis eligeretur perſona ſæcularis pompæ. Quâ de cauſâ etiam Primates Regni ſenſit plurimùm contumaces, qui deſpectis humilibus, ſui ſimiles eligebant ſuperbos.* Non ſolus ergo Adalbero, ſed plerique Regni Francici Optimates hoc in Rotberto reprehendebant atque damnabant. Certè Reges noſtros vt probitatis morum ac prudentiæ, ita & *nobilitatis* in eligendis Epiſco-

pis habuisse rationem, docent veteres Histori-ci nostri, docent Vitæ Sanctorum Antistitum, docent priscæ Marculfi Formulæ. Nec ob aliud Theganus Francus, vir nobilis, dolet & queritur sua ætate *ex vilissimis seruis*, Caprariorum filiis in libertatem assertis, *Summos Pontifices fieri*.

Et studiis quem nec constrinxerit vna dierum.] qui ne vno quidem die studuerit.

Alphabetum sapiat digito tantùm numerare.] Sciat tantùm litteras computare per digitos. *Sapere* Adalbero, vt auctor Panegyrici de laudibus Berengarij Augusti, ac multi alij etiam vetustiores pro scire dixerunt; & pro docto sapientem: vt hodieque scire vel nosse, vulgò *sauoir* à sapere dicimus; doctum *sauant*, hoc est sapientem nuncupamus: & meritò. Nam nisi in sapientem doctrina non cadit.

Hi Proceres: Præceptores hos mundus adoret.

Et iuuet vt celebres nec Reges excipiantur.] Tales Episcopi, tam ignobiles, tam illitterati, sint Proceres Regni, inter Optimates Francorum primi consideant debito Episcopis loco. Hi ab omnibus pro præceptoribus habeantur, salutentur, ne celebribus quidem Regibus exceptis: hoc est à te etiam ipso Rotberte qui eos Antistites elegisti, adorentur & honorentur.

Regula si stabilis Diuûm permanserit ista,
Disciplina, vigor &c.]

Regula Diuûm; regula Regum, regula Rotberti Principis eſt. Vult dicere Adalbero, ſi hanc pernicioſam regulam, ſi hunc morem ſeruare in eligendis indignis Epiſcopis Rex perſeuerauerit, & *Eccleſiæ* & *Reipub.* ſeu Regno Francorum plurimum nociturum.

Legibus exſtinctis, in pace ſepulta quieſcet. Superſcriptum erat.

Ducetur ad vltima mortis.

pro *in pace ſepulta quieſcet.*

Qualia multa ipſius omnino Adalberonis chirographo ſuperſcripta, in hocce Poëmatio reperiuntur: quæ ſingula ſuo quodque loco ſum relaturus, ſi tamen ſunt tanti.

Excludantur & hi quos ſola ſcientia comit,
Chriſti conſeruos & quos ſapientia nutrit, &c.] His VIII. verſibus Adalbero indicat litteratos, bonos & ſapientes viros & Catholicæ ſanæque doctrinæ ab Epiſcopatibus, à Conuentibus vel Synodis ad hæreſes impugnandas coactis, atque à Conſilio Regis procul amoueri.

Omnibus egreſſis thalamum poſt oſtia ſeruent.] Fortè legendum eſt, *ingreſſis.*

Vt Procurator Regis mundana miniſtrans,
Sit piger, ignauus, &c.]

Quem *Procuratoris Regis* nomine deſignet Adalbero, diuinare non poſſum, vt nec quæ ſuprà ſint *ſcripta Crotoniatarum*, inſcripta *lex antiquiſsima. Mundana miniſtrans*, res adminiſtrans.

Et iugiter maneat diuisus sorte iugali.] Id est, Procurator Regis vxorem non ducat, sed semper in cælibatu permaneat.

Ni Regis heredipetæ non spes sibi constet.] Procuratori Regis spes lucri non sit nisi Rege hereditatem aliquam petente, seu bona aliqua fisco suo tamquam caduca vindicante. Qui si verborum Adalberonis verus est sensus, vt esse videtur: *Procurator Regis* heic erit Procurator fisci: vt infrà *custodes thalamorum*, Cubicularij.

Cæsaris his maiora iubet descriptio Magni.
Deuiet ille sacer de sede Monasticus ordo:
Vxores ducant pulcras, & prælia temtent.] *Valens Aug. lege latâ vt Monachi militarent, nolentes* per Tribunos & milites *fustibus iussit interfici*: sicuti Hieronymus Presbyter scribit in Chronico: quæ Valentis lex exstat in Codice Theodosiano. Paullo antè Imperator Iulianus milites ante peracta stipendia Monachos fieri lege vetuerat. Et Monachos quidem Valens militare iussit; Constantinus Copronymus Leonis filius eosdem & vxores ducere albatos præcepit aut coëgit: quemadmodum Theophanes ab Anastasio translatus ceterique memoriæ tradidere. Videtur autem Adalbero nomine esse deceptus, & quod à Constantino Copronymo factum est, Constantino Magno falsò tribuisse: quem suprà *Cæsarem Magnum*, & cuius legem, *Cæsaris Magni descri-*

ptionem appellauerit. Quippe Constantino Copronymo, Principi pessimo ac impiissimo Iconomacho *Cæsaris Magni* appellatio non conuenit, vt nec Imper. Valenti Ariano. Sed cur hæc de Monachis ætatis suæ dicit Adalbero? aut quid tum apud Monachos nostros simile gerebatur?

Rectores rerum placet accersire mearum.] Hic versus cùm sensum turbet, aut vacat, aut non suo loco positus est.

Pilleus excelsus de pelle Libystidis vrsæ.] Monachorum habitum damnat & irridet A. qui obliti professionis suæ pilleis ex pelle vrsina, vestibus crurum tenus decurtatis & anteriùs posteriúsque apertis, pictis balteis, & gladiis, & arcubus ac calcaribus equitantes vterentur. Ordericus Vitalis anni MLXXXIX. res referens *Nunc* (inquit) *propè vniuersi populares caput velant vittâ siue pilleo. Vix aliquis Militarium procedit in publicum capite discooperto legitiméque tonso secundùm Apostoli præceptum.* Antea scilicet Galli & Franci more Romano & Germanico capitibus apertis atque intectis esse consueuerant. Ceterùm hoc hemistichium Virgilij est ex libro v. Æneidos.

Pelle Libystidis vrsæ.

Et vestis crurum tenus est curtata talaris:
Finditur anteriùs, nec parcit posteriori.] Mutauit Adalbero posteriorem primi versûs partem, vt emendaret errorem, & ita superscri-

psit pro *curtata talaris:* *talaris ademta.* Glaber Rodulfus Rotberto regnante vixit, & Willelmi Abbatis Diuionensis seu Monasterij Sancti Benigni Vitam enarrauit: quem in capite XIV. inducit sic concionantem in consecratione Basilicæ S. Benigni M. *Non adspicitis, quæ scissuræ & detruncationes vestium rabidissimæ? quæ attonsura per ceruices virorum?* &c. *Ista enim vniuersa recentia & nuper grassata, ex Diabolicæ superstitiositatis rabie emersere.* Idem in fine libri III. Historiarum de eadem re loquitur, & *trunca veste viros* Francos irridet. Hæc recentia damnat apud Glabrum Vuillelmus Monachorum Abbas in laïcis: sed eos tamen Monachi equitantes itérque facientes imitabantur, & suas vestes talarés atque demissas ita detruncabant decurtabántque, vix vt genua contingerent: easdem cùm vndique clausæ esse deberent, antè & retrò aperiebant, vt ad conscendendum equum essent expeditiores. In detruncationibus illis decurtationibúsve, atque etiam in scissuris vestium hodieque insanimus.

Ilia Baldringo cingit strictissima picto.] *Baldringum* appellat Adalbero balteum nomine mihi alibi non lecto: quem nos vulgò *Baudriet* à *baldringo* dicimus. *Pictum* autem *baldringum* nuncupat, qui acu pictus esset.

Notandum heic *forcipem, malleum, & ilicem* Monacho equitanti tribui, *forcipem* ad extrahendos clauos ex soleis vngulísque equi; *malleum*

leum ad calciandum equum seu ad tundendos clauos vngulis equinis infixos ;* ilicem seu iligna folia ad excipiendum seruandúmque ignem è silice ferro excussum.

Ossa superficiem stringit diffusa deorsum.] Osas Paulus Langobardus in libro IV. Hossas Monachus Sanctigallensis in libro II. cerierique appellant fascias crurales, caligas vel ocreas : Matthæus Parisiensis *calciamenta militaria quæ vulgò heuses dicuntur.* Germani hodieque eiusmodi tibialia *Hosen* ; nos *houses* vocamus. Sed videndum, annon heic Adalbero *Ossæ deorsum diffusæ* ac *superficiem stringentis* nomine potiùs designet pænulam, quam supra omnia vestimenta & arma aduersus imbres Monachus equitaturus sumsisset ac superiecisset.

Saltibus incedens, (terram calcaria pungunt.)] Id est, saltuatim incedit Monachus, postquàm equo descendit, & calcaribus suis non iam latera equi sed humum pungit. Mutauit autem & hunc versum Adalbero parum sibi satisfaciens, & ita superscripsit,

Saltibus impressam pungunt calcaria terram.
(*Terram calcaria pungunt.*

Cœpit summa pedum cùm tortis tendere rostris.] Saltuatim incedit Monachus, & terram calcaribus pungit, quum summos pedes protendere & rostra torquere cœpit, quoniam propter enormes calceos aliter progredi non potest.

S

Ordericus Vitalis in rebus anni MLXXXIX. calceos huiusmodi describit his verbis. *Sutores in calciamentis quasi caudas scorpionum quas vulgò pigacias vocant, faciunt.* Item. *Viri Curiales pedum articulis colubrinarum similitudinem caudarum imponunt.* Hæ ergo veluti caudæ colubrarum & scorpionum terrestrium, vulgò pigaciæ dictæ, *pedum articulis* seu *summis pedibus* imponebantur, hoc est fronti vel anteriori parti calceorum assuebantur. Quare ait Adalbero

Cœpit summa pedum cùm tortis tendere rostris.

Rostra appellat has caudas colubrinas & pigacias calceorum à similitudine rostrorum auium aut nauium: quales Iohannes Dubrauius etiam *calceos rostratos* vocat. Hic enim in Hist. Boiemicæ libro XX. de Iohanne Rege Boiemiæ Francorum mores imitante ita refert circa an. MCCCXXVIII. *Inerat ei peregrinus habitus in nutriendis comis, in calciandis pedibus rostratis calceis, in vestiendo corpore palliolis vix dimidias nates tegentibus.* In Chronicis res gestas Caroli VI. Francorum Regis continentibus, quæ à docto Monacho composita, in Bibliotheca Thuanea seruantur, hæc de Francis præsertim Nobilioribus anno MCCCXCVI. Nicopolim obsidentibus reperio. *Vestimenta fimbriata & manicata superfluè; & semper calciamenta rostrata longitudinis duorum pedum & quandoque ampliùs deferebant: qua reprehensibilis dissolutio inter Nobiles &*

specialiter Francia vigebat. Tum adiicit auctor de Francis eisdem, cum Baiazete quem *Basatum* & *Basitam* vocat pugnaturis. *Et vt leuiùs pedestres possent incedere, rostra longa & superflua calceorum amputarunt: quæ proh pudor! reprehensibilis & vana curiositas inter Nobiles hucusque viguerat, & tunc terminata fuit.*

Ingreditur; noti Fratres quem nosse laborant.
Concurrunt ciues, & larga palatia complent.
Pontificem sic deformis tunc sistitur ante.]

Accurrunt Monachi, *noti Fratres* & *ciues* Adalberoni dicti, & Monachum deposita Monastica veste Laicâ indutum, armatum atque ita deformatum vt ab ipsis vix possit agnosci, ante Abbatem suum sistunt: quem inuidioso nomine Adalbero *Pontificem* appellat, hoc est Episcopum: vt Monasterij sæpta *Palatia*; & infrà Odilonem *Regem* εἰρωνικῶς vocat.

Miles nunc, Monachus diuerso more manebo.
Non ego sum Monachus, iussu sed milito Regis.
Nam Dominus meus est Rex Oydelo Cluniacensis.]

Abbati Monachum militarem non agnoscenti, ac interroganti an Monachus suus sit quem pridie miserit aliquò, ille respondet. Modò miles sum, modò Monachus: quũ iter facio, miles; quũ in Monasterio moror, Monachus. Quid me interrogas? propriè Monachus non sum, *sed iussu Domini Odilonis Cluniacensis* Abbatis, qui *Rex meus est, milito.* Quid facetius excogitari potest?

Erat ergo hic Monachus Monasterij vnius è multis quæ ab Odilone per Gallias tum regebantur: vt docet Iotsaldus Monachus, qui de vita & virtutibus S. Odilonis Abb. libros III. ad Stephanum Episcopum eius nepotem composuit. Hos libros in codice Thuaneo, nimirum in Lectionario Ecclesiæ Lugdunensis nuper inueni, dignos vbique legi: quos Petrus Damianus in epitomen coëgisse se scribit sine appellatione eorum auctoris.

Tune cata to siopomenon caussam meditaris?
In studiis memini formarum nesse figuras.]

Rex Rotbertus, qui *Monachorum pater ac nutritor* Helgaldo dicitur, & qui Odilonem plurimùm amabat, vt Iotsaldus, Glaber Rodulfus, aliíque tradunt: Rotbertus inquam audiens Monachos tantopere sibi dilectos, & Odilonem quoque amicum suum ab Adalberone traduci ac derideri, temperare sibi non potest quin silentium rumpat: & *Tune*, inquit Episcope κατὰ τὶ σιωπώμενον *caussam meditaris?* Tune me *nil reponere*, nihil tibi respondere voluisti, vt tibi Monachos & singularem amicum meum Odilonem impugnanti ac irridenti tacendo viderer consentire, & silentio meo vel quasi ἀποσιωπήσει & reticentiâ, figurâ mihi olim puero in scholis notissimâ viros bonos destituerem, proderem, ac relinquerem indefensos? Iratum sibi Adalbero Rotbertum inducit, aut saltem commoto similem, quòd de

Monachis malè sentiret & scriberet. Vnde subiicit,

Non tua prapediat nos indignatio feruens.
Præceptum Domini liceat cum pace referre.

Tua quæso indignatio orationem meam non interrumpat, pie Rex: tua mihi ira non obsit. Pace tua mihi liceat, præcepta Dominica referre.

Sara nimis gens cenorum de more petulca.
Regnum Francorum manibus ferroque subactum
Occupat, & rodit quidquid sibi Gallia nutrit. &c.]

Saraceni, inquit Adalbero, *Gens valde petulans, ex more Regnum Francorum vi & armis subactum occupant* ac diripiunt: Galliam sanguine inundant; Sanctorum Reliquias dispergunt, eásque auibus *ac leonibus* (si qui tum tamen in Gallia leones erant) exponunt; *Episcopatum* in primis *Turonicum vastant*. Quâ B Martini & suâ quoque suorúmque *Odilo* motus iniuriâ, *Romam petiit, pro salute Monachorum precaturus*. Hæc Adalbero scribit, mera ænigmata. Qui sunt enim *Saraceni* illi, qui tum Regnum Francorum & præcipuè Episcopatum Turonicum ita vastauere? Saraceni quidem Fraxinetenses antea culminibus Alpium occupatis Maiolum Cluniacensis Monasterij Abbatem, cui Odilo successit, cum suis omnibus ceperant ex Italia & vrbe Roma reuertentem, vix mille libris argenti redimendum: sed paullo

pòst à Vvillelmo Comite Arelatensi ad vnum omnes cæsi fuerant isti Prouinciæ & Italiæ populatores, vti Glaber Rodulfus & Odilo ipsemet in libello de Vita Maioli A. tradunt. *Anno* DCCCCXCIV. vel VII. *incensum est castrum B. Martini & ipsius Basilica cum* XXII. *Ecclesiis* VIII. *Kalendas Aug.* vt Chronicon Thuaneum in anno MCXXXVII. desinens, & Maioris Monasterij Monachus docent. Sed fortuitum illud incendium fuit omnino, cùm eius auctor nemo nominetur; nec vlli Genti Christianæ religioni infestæ tribuendum, nedum Saracenis qui tum oram Galliæ Narbonensis latrociniis ac furtiuis prædationibus infestare potuerunt; interiora regionis Celticæ circa Turonos penetrare minimè potuerunt. Circa annum M. Nordwegi vel Noruagi, & Suedi à Richardo iuniore Duce Nortmannorum aduersus Odonem Comitem Carnutensium & Blesensium, qui & vrbem Turonos obtinebat arcessiti, Britannis primùm prœlio victis, & castro eorum Dolo expugnato ac incenso incolisque iugulatis, Rotomagum nauibus petiere. Quos populos idololatras *Saracenorum* nomine ab Adalberone designatos esse non puto: propterea quòd mox à Rotberto Rege Francorum inter Richardum & Odonem pace factâ: remissa sunt auxilia, & insequenti anno ex Nortmannia domum, aut (vt aliis placet) in Angliam insulamve Britanniam vnde vene-

rant reuerterunt: ita vt vastandæ Galliæ & depopulandi agri Turonici spatium non habuerint. Fuere & inter Odonem hunc ac Fulconem Andicauorum Comitem multa bella, caussa excidij interioris Galliæ agrique Turonici. Fulco Ambaciam & Luccas in pago Turonico tenebat; Odoni parebant Turoni: cui vrbi Fulco imminens, Montem Budelli castellum ei aduersum opposuit, & anno MXVI. apud Pontileuium Odonem prœlio superauit. Sed hæc multo post carmen istud ab Adalberone compositum, & forsitan quoque post Adalberonis ipsius obitum contigerunt, R. Rotberto non iam *flore iuuentutis splendente*; non iam incipientis iuuentæ sed desinentis.

Sunt auium, sunt iam consortia facta luporum.] *Corpora Sanctorum* videlicet. Hunc versum mutauit Adalbero eum in modum, sed infelicius.

Conciues auium iam sunt sociique leonum.
Nimirum *Sancti*, seu eorum cineres & reliquiæ.

Vastat Episcopium cum strage Turoniacense.] *Gens Saracenorum* scilicet.

Martinus plorat, tutorem clamitat idem.
Oidelo compatitur, simili qui iure tenetur.]
Annon *Gentis Saracenorum* appellatione designare voluit Adalbero Principes Franciæ, nimirum Comites, Marchiones ac Duces, tum Regnum Francorum lacerantes, vrbes & castella occupantes, inter se armis dimicantes, sacra

& profana more Saracenorum diripientes: inprimis Fulconem Andicauorum Comitem, *Episcopatûs Turonici* & rerum *B. Martini vastatorem*? Certè apud Glabrum Rodulfum in libri Hist. II. cap. IV. Hugo Turonorum Archiepiscopus dicit & queritur, Fulconem huncce *matri Ecclesiæ Sedis sibi commissæ prædia & mancipia eripuisse non pauca.* Fulbertus quoque in epistola XCIX. scribit, Fulconem Comitem res Ecclesiæ inuasisse & abstulisse, & Archiepiscopum Turonicum Coëpiscopos ad eum excommunicandum hortatum esse. Et alibi legimus, Proceres aliquos regnante Rotberto bonis possessionibúsque Cluniaci manus iniecisse: & de his apud Benedictum PP. VIII. per suos questum esse Odilonem, coram Rotberto Rege Francorum & Principibus Optimatibúsque eius, qui ad limina Apostolorum venerant: ita vt facilè *Odilo compati* Martino potuerit, cùm *simili* ipse *iure teneretur*, hoc est cùm eamdem ipse ab aliis accepisset iniuriam.

Hic Romam petiit Monachis orare salutem.] Nec Iotsaldus, nec Petrus Damianus qui ex Iotsaldo epitomen fecit, nos heic quidquam iuuant. Hæc sunt de Odilone verba Iotsaldi. *Lætabatur etiam vrbs Roma mundi domina, tanti viri contubernio frequentata sæpius, Sanctorum Apostolorum amore & desiderio.* & vt idem ait, *quo tempore Rex Heinricus ad arcem Romani Imperij festinabat, vt ad Imperium promoueretur;*

eum *comitatus* est *Odilo*. Rei suæ caussâ, aut ad res Monasteriorum suorum Ecclesiarúmque repetendas Odilonem Romam vnquam venisse, neuter dicit: quod tamen verum esse potest.

Conscendunt voces, fremitum dant Cluniacenses:
Clamant atque monent. Subitò dispone Magister
Arma subire tuis, & quæ præponere debent. &c.]

Describit iocosus senex comitatum Odilonis Romam petentis, quem heic Cluniacenses Monachi *Magistrum* appellant sicuti suprà.

Mittere proponunt mox, explorare Magistrum. Vt antè in Odiloniani Monachi iter facientis, sic nunc in comitatûs Odilonis Romam proficiscentis descriptione lasciuit. Planè sicut Episcopis & Monachis conuenire non solet, apparet Adalberonem Monachis præsertim Cluniacensibus tum maximè florentibus, & Odiloni Abbati clarissimo potentissimóque amicum non fuisse. Inducit Adalbero Cluniacenses Odilonem interrogantes, quem habitum indui ipsos Romam vnà ituros, qua ratione instrui armarique velit: quid supra, quid subtus; quid foris ac palam, quid intus sumere oporteat.

& quæ præponere debent,
Quæ sint exteriùs, & quæ sint interiora.

Dicet aliquis: An *voces*, & *fremitus*, & *clamores* conueniunt Monachis Abbati suo loquen-

tibus? Non conueniunt planè nisi Abbatis sui patientiâ abutentibus: quod tum fecisse Cluniacenses Monachos verisimile est. Quippe Odilo vir tam mitis erat, & non sequentibus disciplinam tam facilè ignoscebat, vt nimiam eius in delinquentes clementiam ac misericordiam haud pauci reprehenderent: quemadmodum Iotsaldus, Petrus Damianus, ac Sigebertus scribunt. Qua Abbatis sui lenitate ac frequenti etiam absentia, & magnis Monasterij sui opibus facilè Cluniacenses efferri potuerunt, itaut *vociferarentur* & *fremerent* Abbate præsente, ac Monachici silentij immemores *clamorem* tollerent etiam Laicis indecorum.

Lunaris pendere priùs debet tua pelta.
Insuper apponas tibi loricamque trilicem.] Præscribit Monachis suis, peregrinationis Romanæ comitibus futuris Odilo cultum & habitum cuique suum: ridicula omnia & quæ fieri nec debeant nec possint præcipiens. In primis super clypeum amento collo iniecto dependentem, loricam induere singulos iubet. *Lunarem peltam* pro lunata vocat Adalbero parmam Amazonicam, seu scutum breuissimum, dimidiæ figurâ Lunæ duo cornua emittens.

Lubrica sustineant galeam cinctoria lumbi:
Corrigiis caput adstrictum mucrone corones.] Pergit Odilo, & galeas non iam capitibus Fratrum imponi, sed ad *cingula lumborum* appendi

iubet, & (quod fasciis cruralibus conueniebat) capita eorum longissimis corrigiis adstringi figurâ coronæ nouaculis circumrasa; aut certè corrigiis sub mento nexis pillea in capite contineri: *spicula* seu tela & sagittas *post tergum* reiici, *gladios* nudis dentibus mordicùs *teneri* præcipit: sicut Ranimirus II. Aragonensium Rex habenas equi sui tenuisse dicitur armatus.

Spicula post tergum teneas, tum dentibus ensem.

Ceterùm *coronare caput* propriè dixit Adalbero. Monachi enim atque etiam Clerici in coronam attondebantur. Tonsuram hanc hodieque ob id vtrique veteri nomine *Coronam* appellant.

Et cogit iuuenes lentos adscendere currus,
Atque senum precepit equos conscendere turbam.]

Ex Monachis qui ipsum in Italiam secuturi sunt, iuniores Odilo in currus; senes in equos imponit: cùm contrà iuuenes equis; senes curribus, plaustris, rhedisve vehi oporteret.

Adscendant asinum bini, denique camelum:
Si non sufficiunt, bubalum conscendite terni.]

Non sufficientibus equis, Odilo singulis asinis binos è comitibus suis cùm famulis tum etiam Monachis, singulis bubalis ternos, singulis camelis denos iubet insidere. Hæc quidem ridicula sunt & ficta: ex his tamen intelligitur Odilonis Romam proficiscentis maximum fuisse comitatum. Nam cùm *turba se-*

num eum ſecuta eſſe dicatur, quis non videt, non intelligit multo maiorem ei iuuenum multitudinem adfuiſſe? Vnde ſubiicit Adalbero

Milia mille viri procedunt ante Quirites.

Sanè *quocumque degebat, quocumque procedebat,* (Odilo) *tanta ſequebatur eum frequentia Fratrum, vt iam non ducem aut principem, ſed reuera putares eum eſſe Archangelum Monachorum*: vti Iotſaldus in Vita eius memoriæ tradit. *Dux* autem ille & *Princeps Monachorum*, vel potiùs *Rex* (vt ſuprà nuncupatur) non Monachis ſolùm; ſed etiam Abbatibus imperabat. XIIII. Monaſteria Odiloni ſubiecta memorat Iotſaldus per Burgundiam, Aquitaniam & Prouinciã, ac Nantuadenſe Monaſterium, quod ipſi Giſlebertus Comes corrigendum tradiderat. Sed & Vvillelmus Dux Aquitanorum Odilonem multis magniſque muneribus ad ſe traxit, *& nonnulla Cœnobia ſua ditionis eius magiſterio commendauit*, in primis Ingeriacum, & Monaſterium S. Cypriani in ſuburbano Pictauorum poſitum. Idem Rotberti Regis Francorum; Adhelaidis Aug. matris & auiæ amborum Ottonum; Heinrici Imperatoris Romanorum, qui ſceptrum & ſphæram & Imperatoriam coronam ex auro Cluniaco dedit; Chonradi quoque & Heinrici eius filij Cæſarum amicitiis, officiis, & muneribus honoratus eſt: à Stephano quoque Rege Hungarorum & à Sanctio Rege Cantabrorum & Na-

uarrorum idem litteras cum beneficiis & muneribus accipere consueuerat. Monasteria nonnulla partim à fundamentis exstruxit; partim semiruta vel ruinam minantia refecit, prædiis auxit & insignibus ornamentis, Monachis impleuit. Neque ab Abbatibus modò, verumetiam ab Episcopis officiosis obsequiis nonnumquam honoris causâ excipiebatur. Inter Abbates igitur Gallicanos, qui tum erant vsque ad Episcoporum inuidiam felices, diuites & validi, maximè eminebat ac veluti regnabat Odilo, Cluniaci opulentissimi Monasterij & tot ac tantorum Cœnobiorum per totam Galliam & Langobardiam quoque diffusorum potens; Imperatorum & Regum propè ex æquo amicus.

Milia mille viri procedunt ante Quirites.] Odilo plurimis comitatus Monachis Romam venit, & spectandam Romanis ingressus sui pompam exhibuit.

Res agitur ferro ternis prolata diebus] Legitur aliàs,

Res agitur ferroque tribus prolata diebus.

Quid hoc versu & nouem sequentibus describat, aut quid sibi velit Adalbero, haud facile dictu est. *Rem* enim *ferro* per triduum *actam*, & *pugnam* commemorat Kalendis Decembribus pugnatam, & *signiferum*, qui cuspide equo deiectus, vexillum reliquerit turpiter, & cum reliquis fugâ domum repetiuerit. Omnino de-

ſignat rem aliquam riſu dignam, quæ Romæ Odiloni comitibúſque eius acciderit, & malum peregrinationis euentum.

Signifer in medio properus non ſtertere cœpi
Diſſutis malis, flatum pugnando reieci.] *Signifer* iſte *in medio* agmine poſitus, quem Adalbero de ſe loquentem inducit, Odilo ipſe eſt, qui fatetur ſe flatum ventris pugnando emiſiſſe, ſeu βδέσμα, ac cum ſuis fugâ Gallias petiiſſe.

Cum reliquis fugiens, genitalia Regna petiui. Hæc quò magis mirere, ſcripta ſunt viuo Odilone, qui anno MXLVIII. ætatis LXXXVII. multo poſt Adalberonem ipſum deceſſit.

Hæc patrata ſcias in prima luce Decembris:
Hoc itidem Martis temtabitur ante Kalendas.] Hoc neſcio quid Romæ contigiſſe indicat Adalbero Kalendis Decembribus Odiloni, & idem cum proximis Kalendis Martiis iterum ibidem temtaturum. Quibus verbis carpit frequentes iſtas Abbatum, in primis Odilonis peregrinationes Romanas, Monaſteriis oneroſas, diſciplinæ etiam inimicas. Nam & Monachi qui Abbatem peregrinantem comitantur, leges ſuas maiore ex parte ſeruare non poſſunt: & qui in Monaſterio remanſere, abſente Abbate eas ſeruare non curant.

Militiæ Princeps ad te nos Oydelo mittit.
Te Dominum Monachorum bellicus Ordo ſalutat:

Admonet, inuitans acies vt bella perornes.
Agmine conseptus, mandatum concitus imple, &c.]

Heic ab Adalberone inducitur Monachus, tamquam legatus ad Rotbertum Regem Francorum missus ab Odilone, qui Abbatis sui nomine Regem salutat, eúmque hortatur ad bellum sacrilegis Proceribus rerum suarum occupatoribus ociùs inferendum. Vbi notanda sunt verba Monachi Cluniacensis legati, Odilonem Abbatem suum *Principem militiæ* appellantis, & Monasticum Ordinem *bellicum Ordinem* nuncupantis, & magnoperè instantis vrgentisque, vt Rex celeriter conuocet milites, cogat copias, apparet bellum, atque Abbatis sui quamprimùm exsequatur *mandata*. Fulbertus Carnutinæ Ecclesiæ Episcopus in epistola LXVI. *Monachorum Archangelum Odilonem*, & *nostrum* (id est suum) *Archangelum* appellat; Iotsaldus quoque eum secutus *Archangelum Monachorum*. Hinc vulgò *Archangelus* videtur esse nuncupatus. Constat autem Michahelem Archangelum, à Græcis sæpe dictum esse κατ' ἀντωνομασίαν Ἀρχιστρατηγὸν, hoc est *Principem militiæ* Angelicæ, Magistrum militum cælestium, Ducem Angelici exercitûs. Si itaque potuit Odilo more Michahelis *Archangelus* vocari, potuit & eiusdem nomine *Princeps militiæ* sed nempe Monasticæ appellari. *Monachorum bellicum Ordinem*

vocat legatus Odilonis, vel potiùs Adalbero, quia tum Monachi quotiescumque iter facerent, gladio cincti, pharetrati, veste trunci seu sagati, & cum calcaribus more militum equitabant. Auctor est Glaber Rodulfus in libri Historiarum II. capite IX. Rotberto apud Francos regnante, cùm Rex Cordubensium Almanzor Saracenus Callæciam, Nauarram atque Castellam continuis incursionibus vastaret, vrbes Christianas expugnaret, prœlia etiam secunda faceret: Monachos eius regionis inopiâ militum arma capere & bella gerere esse compulsos. *Tunc etiam ob exercitus raritatem compulsi sunt regionis illius Monachi sumere arma bellica.* Erat ergo tum Monachorum saltem Hispaniensium ordo verè militaris. Apud eumdem in l. III. c. IV. inuenio, quosdam è Turonici Monasterij B. Martini Clericis siue Canonicis tum arma induisse atque militasse, & nonnullos eorum in prœlio cecidisse.

Agmine consæptus, mandatum concitus imple.
Armis te decet antè mori quàm rura colendo.]
Verba ea sunt legati Odilonis ad Rotbertum Regem Francorum: Armare cum tuis, & *mandatum* Odilonis *militiæ Principis* quamprimùm exsequere, ac nostros hostes, nostri Monasterij spoliatores aggredere. Te enim *Domine* Rex magis decet pugnantem gloriosè occumbere, quàm agros colentem seu rusticantem

tem & cessantem lenta & ignaua morte defungi. His Adalbero & Monachos arrogantiæ, qui Regi imperarent; & Regem ipsum ad quem carmen composuit, inertiæ desidiæque arguit: qui certè fertur fuisse vir plusquàm Monachicæ simplicitatis.

Mittere perplures, quàm frondes Asia spondet,
Africa nigra, maris bibulas quàm litus arenas,
Pars Europa minùs non iactat tertia mundi.] Pergit mandata Odilonis exponere legatus, & quo minùs dubites bellum gerere Rex, scito (inquit) & persuasum habeto Europam, quæ *non minùs quàm tertia pars* terrarum *orbis* est, *plures* tibi Monachos commilitones *missuram* adiuncturámque auxilio, quàm in Asia & Africa frondes sint, aut in litore maris arenæ. Hoc iactat Europa. Quibus verbis Adalbero nimiam Monachorum in Europa multitudinem sua ætate fuisse indicat; quid dicturus, si nunc viueret?

Quid tibi vis rabies tetris dignissima claustris?
Figite per corpus, fugiat ne liuidus, vngues.] *Quid tibi vis rabies*, non iam Monasteriorum, sed carcerum *claustris* coërceri *digna?* Hæc est exclamatio Adalberonis Episcopi Laudunensis aduersus Monachos Regem ad vindicandam armis ipsorum iniuriam hortantes, compellentes, & canentes quodammodo bellicum: quos *rabiosos* & *tetro carcere dignis-*

ſimos amariſſimè infeſtiſſiméque appellare non veretur fronte parum Epiſcopali. Poſterior verſus poteſt conuenire Rotberto, Adalberonis *corpori vngues infigi* iubenti, *ne liuidus* & Monachorum opibus gloriæque inuidens *effugiat.*

Crede mihi, non me tua verba minantia terrent.

Plurima me docuit Neptanabus ille Magiſter.] Rex Rotbertus, cùm Monachos non irrideri ſolùm, ſed etiam *rabidos* & *carceribus dignos* ab Adalberone Epiſcopo appellari videret: patientiam rupit, ac negauit ſe verbis eius minacibus commoueri, aut ſe dictis eius in Monachos & iocis à Monachorum amore deterreri: ſe Monacho magiſtro vſum eſſe, ex quo *plurima* & maxima vtiliſſimáque didicerit, cui quidquid ſcit acceptum ſecundùm Deum referat, cui plurimum & debeat & deferat vt diſciplinarum auctori. Conſtat enim Gerbertum præceptorem Rotberti obſcuro genere natum in Aquitania, *Monachum à puero in Monaſterio Aureliaco adoleuiſſe*: deinde ſcholam Remenſem ſeu Eccleſiæ Remenſis rexiſſe. Vnde non rarò in inſcriptione epiſtolarum *Gerbertum quondam Scholaſticum*, & *Gerbertum Scholarem Abbatem*, id eſt Caput ſcholæ ipſe ſe appellat. Diſcipulos habuit Rotbertum Hugonis filium, & Ottonem III. Ottonis II. Aug. filium: è quibus Rotbertus Rex

Francorum fuit; Otto patre mortuo etiam Imperator: Leothericum pòst Senonicum Archiepiscopum; Ingonem Abbatem; & Fulbertum Carnutinum Episcopum. Rotbertus quidem *à matre Scholæ Remensi traditus, Domno Girberto ad erudiendum est datus, qui eum liberalibus instrueret disciplinis*: vt Helgaldus scribit. Auctor est Vvillelmus Malmesburiæ Monachus in libro II rerum Anglicarum, Gerbertum *Astrologiam, abacum, ceterásque artes* Mathematicas *à Saracenis Hispaniensibus didicisse; & in Gallia scholas publicas aperuisse*: quem Otto ipsius discipulus *Philosophorum peritissimum, & tribus Philosophiæ partibus laureatum* in litteris appellat. Alij Borello Marchioni commendatum ab Aureliacensi Abbate, & ab Haitone Hispaniæ Episcopo Mathesim edoctum esse verisimiliùs prodidere: & Borellum hunc nunc *Ducem citerioris Hispaniæ*, nunc *Comitem Barcinonensem* vocant.

Plurima me docuit Neptanabus ille magister;
Labitur aula tholis rutilat quò splendida fulvis.]

Rex fuit Ægypti Nectanabis, Agesilai Regis Spartanorum æqualis, cuius Nectanabis vel Nectanabidis haud semel meminit in Agesilao Plutarchus Chæronensis; meminit & Diodorus Siculus, cui nunc Nectanebis, Νεκτάνεβις, nunc Nectanebos, Νεκτανεβῶς dicitur. Plinio in libri XXXVI. cap. IX. *Nectabis Rex* corruptè

pro Nectanabis. Nectanabis ergo ille vel Nectanebos is est, qui ab Adalberone corruptè *Neptanabus* pro Nectanabus vocatur. *Neptanabum* autem vel potiùs Nectanabum nomine veteris Ægypti Regis per ironiam appellat Magistrum suum Gerbertum. Rotbertus Francorum Rex, propterea quòd more Ægyptiorum Astrologiâ & Mathematicâ enituit. Astrologiam enim Ægyptij diuturnâ obseruatione siderum inuenisse & consecuti esse putantur, vt Cicero in libro I. de Diuinatione, Plinius in libri VII. capite LVI. ceterique docent. Hæc est certissima felicissimáque versûs Adalberonis expositio, ad quam sine adiunctâ *Magistri* appellatione minimè peruenire potuissem. Rotbertus igitur plurima se à Magistro suo didicisse ait

Labitur aula tholis rutilat quò splendida fuluis. *vbi labitur aula* quæ *fuluis tholis splendida rutilat*: hoc est Remis in Schola Remensi proximâ maiori vrbis Ecclesiæ, quæ tholo quidem inaurato nitet, vetustate tamen *labitur* seu ruinam minatur. Tholus est testudinis vmbilicus ac veluti scutum media in Ecclesia, quò trabes omnes conueniunt: vel in media templi aut Ecclesiæ camera locus, cui dona affixa pendent vel anathemata.

Per partes scindunt vestem quam quisque tenebat.]

Hæc videntur scripta esse ab Adalberone de

Monachis Cluniacensibus, ab Odilone ad Rotbertum Regem Francorum petendi consilij auxiliique caussâ missis: qui post quàm princeps legationis finem loquendi fecit, ad testandum dolorem suum & ad commouendum Regem vestem quisque suam disscideirint.

Ordinis est igitur hæc transformatio regni.] *Hæc igitur* apud Francos *Ordinis* Clericalis Sacerdotalisve, ac præcipuè Monastici *transformatio, Regni* ipsius transformatio *est*. Ita concludit Adalbero: hunc suo sermoni aduersus Monachos habito finem imponit. Idem initio dixerat hocce versu,

Vt placet imperio, sic se tranformet & Ordo.

Item

Deuiet ille sacer de sede Monasticus Ordo.

Certè Monachos Gallicanos vel Francicos haud parum fuisse tum dyscolos, & à disciplina desciuisse, docent non modò tot Adalberonis versus, sed etiam multa Monasteria in Regno Francorum clarissima & opulentissima, in primis Monasterium Parisiacum SS. Vincentij atque Germani, Monasterium S. Dionysij Mart. tumulo illustre, Monasterium Fossatense, & plura alia à Glabro Rodulfo ceterisque memorata: quorum Monachi cùm vitam pæne sæcularem agerent, ad seruandam Benedicti Regulam auctoritate Regia, & meliorum immissu atque operâ compellendi fuerunt. Odo

in Vita Burchardi Comitis ait, Magenardum Fossatensem Abbatem, virum nobilem, aucupio & canibus ac venatu delectatum esse, & si quò iret, depositis vestibus Monachicis pretiosas pelles indui, & calamaucum vel camelaucium pillei genus pro capitio capiti imponere consueuisse: tum addit, *Subiecti etiam quique pro posse & ipsi eadem sectabantur. Hic mos à cunctis Monachis Regni istius agebatur.* Vvillelmus qui Abbas Diuionensis Monasterij S. Benigni anno DCCCCXC. factus est à Brunone Lingonicæ Ecclesiæ Episcopo, *Regularis vitæ disciplinam quæ iam pæne deciderat per veterum negligentiam, prout B. Benedictus eam composuit, in pristinum statum corrigendo restaurauit: ac per diuersas mundi partes perplura Monasteria à regulari tramite deuia, tam per se quàm per suos quos Abbates ordinauerat, Monastico ordini subdidit:* vt in Chronico Benigniano scriptum reperitur. Addit auctor Chronici huius, Monasteria Gemeticum, Bessuense, Rotomagense S. Audoëni, S. Michahelis Archangeli in Monte, S. Germani Parisiis, S. Faronis Meldis, S. Arnulfi Mettis, Gorziam quoque, & Tullense S. Apri Cœnobium, aliáque ei corrigenda & in ordinem cogenda esse commissa. Glaber Rodulfus de Episcopis, Abbatibus, Clericis & Monachis eius ætatis sic scribit in libri II. capite VI. *Quandocumque enim defecit religiositas Pontificum, ac mar-*

cescit districtio regularis Abbatum, simulque Monasterialis disciplinæ vigor tepescit, ac per illorum exempla cetera plebs mandatorum Dei prauaricatrix exsistit: quid aliud quàm totum simul humanum genus rursus in antiquum præcipitij chaos illabitur? Idem in libro de Vita Vvillelmi Abbatis & Presbyteri tradit, Monasterium S. Saturnini ad Rhodanum, Cœnobia Virziacense, Fiscamnense, Reomense, Melundense, & locum S. Michahelis Archangeli castro Ternodoro propinquum, aliásque cellulas circiter XL. rexisse Vvillelmum, & in meliorem statum ac vitæ ordinem restituisse.

Spes iuuenum, ventura dies, qui discere nolunt.

Causa senum, sine spe pueriles plangere cursus.] Descendit nunc ad gnomas Adalbero parum cohærentes. Iuuenes (inquit) pigri & desides nec discendi cupidi, quia diu se victuros sperant, studia litterarum differunt in futurum. At senes quibus iuuentus sine studiis exacta est, cùm iam diuturnam vitam sperare non possint, adolescentiam malè negligentérque transactam cum gemitu desiderant, & irritis votis reuocant minimè redituram.

Res mala: quod scio, defendunt; quod nescio, cedunt.] Quod scio, vulgò prohibetur & vetatur: quod nescio, permittitur, pro permisso habetur, in

vſu eſt. Sic vulgò hodieque *defendere* dicimus pro vetare & inhibere, *defendre.* Superſcriptum erat in codice eodem ſenſu.

Res mala: Quod ſcio deſpiciunt; quod neſcio quærunt.

Aut Regis cineres, aut noſtras flabo Camenas.] libentiſſimè emendarem *noſtros flabo caminos,* niſi ſequeretur *Si Muſas celebres*, &c.

Si Muſas celebres, clament Muſarde Sacerdos.]

Rex loquitur, & ait Adalberonem Epiſcopum, ſi Muſas ſeu litteras colat, clamore indoctorum litteras contemnentium *Muſardum Sacerdotem* contumeliæ cauſsâ appellatum iri. Hodieque otioſum & ceſſatorem *Muſardum* vocamus; Muſard: item *muſer* vt Germani *Muſen*, dicimus otiari.

Perſius indignans promet tum, luſca Sacerdos.]

In Perſij Satyra v. verſus hic eſt,

Hinc grandes Galli, & cum ſiſtro luſca Sacerdos, &c.

Perſium Adalbero diligenter legerat. Nam & ſuperior verſus

Iupiter ille duos numerat meliore lapillo:

& hic alter

Diſſutis malis, flatum pugnando reieci.

dimidia ex parte ſunt Perſij: prior ex Satyra II. de bona mente ad Plotium Macrinum.

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo:

Posterior ex Satyra III. quæ increpatio desidiæ est.

Oscitat hesternùm diffutis vndique malis.

Item *Scire meum nihil est*, hemistichium Persianum est.

Prospera si tibi sunt, non tædeat hoc reminisci:]

Superscriptum erat ab Adalberone, contumaci syllabâ frustra repugnante.

ten' pigeat hoc reminisci?

Partem namque sui, quæ pars sapientia vera.]
Superscripserat Adalbero.

Dans intellectum, quæ sit sapientia vera.

Ciuibus Angelicis, hominum struitur quoque turmis.

Pars quædam regnat;quædam pars altera sperat.] Hæc Hierusalem cælestis à Deo exstructa est, vt ab Angelis & ab hominibus quoque incoleretur: quorum pars iam ibi regnat, pars altera post mortem aut post expiatas igne culpas sperat se ibidem regnaturam. Si *pars regnans* referretur ad Angelos; *pars sperans* ad omnes Mortales: dicendum esset Adalberonem credidisse, hominibus Christianis atque Catholicis nisi post diem Iudicij cæli portam non patere: quod & multi alij credidere.

Rex Augustini libros dilecte reuolue.

Vrbs excelsa Dei quæ sit, dixisse probatur.] Dilecte Rex, libros Augustini de Ciuitate Dei perlege.

Inco precor mihi dic, Præsul, qui sint ibi latus.
Princi pares & si qui sunt & in ordine patus.] Rex Adalberonem interrogat, qui *Incolatus*, & qui *Principatus pares* in Ciuitate Dei seu in cælesti Hierusalem sint & vocentur. Gaudet autem tmesi per iocum Adalbero, vt suprà.

Sarra nimis gens cenorum de more petulca.
Quare Dionysium qui dicitur Areopagita:
Ille duos super his desudat scribere libros.] Dionysius qui Areopagita à plerisque sed falsò dicitur, de cælesti Hierarchia librum capitum XV. & alterum de diuinis Nominibus librum capitum XIII. composuit. Hi sunt duo libri, quos Adalbero designat, & à Dionysio scriptos esse tradit: quem quum addit *Areopagitam dici*, vulgarem opinionem iam ante annos centum & sexaginta inualescentem refert magis quàm pro vera habet aut credit.

Præsul & ille sacer loquitur Gregorius inde,
Iob magna scrutans fidei Moralia Regis.] Gregorij Papæ quem vulgò Magnum cognominant, & qui primus eo nomine Romanæ Ecclesiæ præfuit, sunt *Moralis expositionis in B. Iob libri* XXXV. ad Leandrum Hispalensem Episcopum. *Moralia* Adalberoni & multis aliis dici video hanc Moralem expositionem. Sunt eiusdem *in Ezechielem Prophetam Homiliarum* XXII. *libri* II. ad Marinianum Episcopum Rauennæ. Vtrubique ait Adalbero Gregorium PP. de Ciuitate Dei seu de cælesti

Hierusalem, & de Incolatibus Principatibúsque eius scripsisse. *Loquitur Gregorius inde*, hoc est, Gregorius ea de re scripsit, *S. Gregoire en parle*. Ita hodieque vulgò loquimur.

Idem Sermonem complens explanat apertè
Hìc & Ezechielis super his in fine patenter:
Hoc apices ipso quos Gallia dante recepit.]

Hos in Ezechielem Homiliarum libros duos dicit Adalbero ab ipso Gregorio missos & datos esse Galliarum Episcopis: quod alibi non legi.

Distinctus disponitur ordo supernus:
Cuius ad exemplar terrenus fertur haberi.]

Superscriptum erat

Terrenus fertur discretus cuius ad instar.

Vbi obseruandum est, sæpissime in hoc Carmine ordinis fieri mentionem: in 11. versu

Fratrum Laudunicus Ordo.

Item

Vt placet Imperio, sic se transformet & ordo.
Deuiet ille sacer de sede Monasticus Ordo.
Te Dominum Monachorum bellicus Ordo salutat.
Ordinis est igitur hæc transformatio Regni.

& de cælesti vel suprema Hierusalem

Ordine distincto regitur, non milite pauco.
Princi pares & qui si sunt & in Ordine patus.
Distinctus disponitur ordo supernus:
Cuius ad exemplar terrenus fertur haberi.
Ecclesiæ veteris populi sub Lege Ministros.

Per Moysen Deus instituit, quos ordine rexit.
Ecclesiæ Regnum Cælorum dicitur ordo.
Res Fidei simplex: status est sed in ordine triplex.
Mutantur mores hominum, mutatur & ordo.
Nunc demonstras, tum deliberat ordo potentum
Discutiens, &c.
Iustitiæ regimen noster non audeat Ordo
Linquere.
Francorum primus tu seruus in ordine Regum.

Itaque hoc Carmen *de Ordine* inscribi potest: propterea quòd Adalbero in eo docet, vti Cælum seu suprêma Hierusalem ordine regitur, & ordines habet alios ab aliis distinctos; ita hominum in terris diuersos esse ordines, diuersásque leges, quas seruari oporteat.

Ecclesiæ veteris populi sub Lege ministros
(Nomine quæ perfunctorio Synagoga vocatur)
Per Moysen Deus instituit, quos ordine rexit.]
In codice deletus erat è III. his versibus secundus, quo *Ecclesiam veterem populi sub Lege* constituti seu Iudæorum, *nomine perfunctorio Synagogam vocatam* esse dicit Adalbero.

Ecclesiæ Regnum Cælorum dicitur Ordo.]
Ordo Ecclesiæ, dicitur Regnum Cælorum.

Et noua lex inibi colitur sub Principe Christo.]
Emendauit & hunc versum Adalbero eum in modum.

Et noua lex ibi perfruitur, quæ Gratia fertur.
Hoc & Pontificum fixit censura fidelis,
Qualiter, à queis, & quales ibi constituantur.]

Ministri Ecclesiæ quales esse, à quibus & qua ratione constitui debeant, Episcoporum in Synodis congregatorum Canones decreuere: Canones inquam *censura Pontificum* Adalberoni dicti.

Ipsum legibus est aptare necesse duabus:
Diuinæ quas humanæ discretio format.]
Statum Ecclesiæ necesse est aptare duabus legibus, diuinæ & humanæ, quas format discretio. Posteriorem versum mutauit Adalbero ita

Virtutum quas distribuit discretio mater.
id est, *quas* duas leges *discretio mater virtutum* distribuit.

Lex diuina suis partes non diuidit vllas.]
Suis nimirum Ministris, seu Ecclesiæ suæ ministris: quos licèt genere dispares, æquali omnes condicione esse voluit Deus.

Hos pia lex omni mundana sorde sequestrat.]
Clericos seu Ministros Ecclesiæ leges piorum Principum sordidis ministeriis ac vilibus artibus vacare vetuerunt, & cum omni immunitate solis eos altaribus addixerunt.

Non sunt carnifices, caupones, necne subulci.]
Carnifices iam tum vocabantur, quos antiquitas lanios appellauit. Ait igitur Adalbero, Ministros altaris vel Clericos à sordidis ministeriis abhorrere: non agricolas, non bubulcos, non vinitores esse, vix arbores serere, aut hortos colere: eosdem nec lanios seu

carnarios, nec copones, nec subulcos vel suarios esse, (*necne* pro nec dixit) non caprarios, non opiliones seu pastores ouium: non cribro pollinem tritici floremve siliginis seu farinam à furfuribus secernere: non leberis ad ignem appositi in quo carnes coquuntur, curam vllam agere, id est coquos vel cocos non exsistere. Vtrumque exprimit Adalbero hoc versu

Nec Cererem cribrant: hos non coquit vncta leheta.

Vbi *leheta* pro lebes dicitur. Hæc autem omnia dicit Adalbero, vt Regem Rotbertum arguat, *Pastores ouium* & *nautas*, (vti suprà ait) hoc est rusticos ac humillimas infimásque personas in Episcopatus euehentem.

Terga suum per dorsa boum non serpere cogunt.] Hoc est, Clerici sues pedibus colligatos bobus non imponunt, venales in vrbem aduehendos.

Non sunt lautores, contemnunt feruere vestes.] Lintea hi non lauant siue linteamina, & vestes lineas lixiuio feruefacere dedignantur. *Feruere* enim heic positum pro feruefacere. Vel certè hoc versu designantur ab Adalberone fullones, qui vestes laneas abluere, desquamare, & polire consueuerunt.

Sed mentes purgare suas & corpora debent, &c.] Affirmat Adalbero, Clericos, præsertim Presbyteros & Episcopos non solùm animis, sed etiam

corporibus mundos, caſtos & ſobrios, bonis moribus adornatos, ac ſeruilis condicionis expertes eſſe oportere. Certè ſerui niſi priùs libertate donati eſſent, ad Clericatum peruenire non poterant. *Non* enim *debent Christi* & altaris *ministri obnoxij eſſe humanæ ſeruituti*: vt in Vita Ludouici Pij Imp. legimus.

Omne genus hominum precepto ſubdidit illis.
Princeps excipitur nullus, quum dicitur omne.

Omnes homines Deus cuiuſlibet profeſſionis & dignitatis, etiam Principes, Reges ac Imperatores Preſbyteris & Epiſcopis in ſpiritalibus voluit eſſe ſubiectos: ab his Fidem Catholicam edoceri; ab his ita edoctos, ſacro Fonti immergi.

Et mergi doctos ſacri ſic fonte lauacri.

Ex quo intelligitur, etiam tum eos qui adulti Baptizabantur, in ſacrum Fontem mergi conſueuiſſe, non autem capita eorum ſolummodò aquâ perfundi.

Conſtituit medicos, ſi vulnera computruerunt,
Per quos Sermonum cauteria ſunt adhibenda.]

Preſbyteros Deus nobis *medicos* dedit, qui animorum noſtrorum *vulnera* ac *putria* vlcera; hoc eſt peccata grauiora *ſermonum* ſuorum vel ſalubrium præceptorum hortationúmque & conſiliorum quibuſdam quaſi *cauteriis* curarent. Hoc de Laicis peccata ſua confitentibus, & à Preſbytero pænitentiam accipientibus intelligendum eſt, nî fallor.

Corporis ille sui Sacramentum sanguinis atque
Iussit quò solus tractaret ritè Sacerdos:]
Christus *iussit, vt solus Sacerdos* seu Presbyter *Corporis atque Sanguinis sui Sacramentum ritè tractaret.*

Maxima commisit, quos se tractare rogauit.] *Maxima commisit* eis Christus, *quos tractare se iussit:* seu Presbyterorum fidei summa commisit mysteria, quorum manibus sacrosanctum Corpus suum tangi contrectarique voluit, iussit. *Rogare* tum pro iubere, molliori verbo dicebant. Ionas qui Chlodouei iunioris Principatu, ante Adalberonem nostrum annis CCCL. floruit, in libro de vita Columbani Abbatis, de Brunichilde in nepotem suum Regem Theodebertum captiuum sæuiente ita refert. *Theodebertum fieri Clericum rogauit, ac non post multos dies impiè nimis post Clericatum perimi iussit:* id est Clericum eum fieri iussit, ac paullo pòst interfici. Sic multi alij loquuntur, non ineptè: quia preces potentiorum pro iussis habendæ, & qui cogere potest, si quando rogat, iubere, præcipere ac mandare censendus est. Et quoniam facta est Ionæ mentio, quem in libro XVIII. Rerum Francicarum docui, non Scotum (vt vulgò creditur) nec Abbatem, sed natione Italum, ac Bobiensem Monachum fuisse: quæ patria eius fuerit, scire conuenit. Reperi nuper in veteri codice Vitam B. *Attali* Abbatis Bobiensis, (ita enim ibi

ibi semper, & omnino meliùs appellatur, cùm vulgò Attalas vel Attala dicatur) in qua Ionas ipse de se matrem suam post annos IX. visente, & de duobus itineris sui comitibus sic scribit. Datis comitibus Blidulfo Presbytero & Ermenoaldo Diacono; mense Februario *ad destinatum peruenimus locum. Erat enim Sigusia vrbs nobilis, quondam Taurinatium colonia, à Monasterio* (Bobio) *distans* CXL. *milibus. Ibi vt peruenimus, gratuitè* (id est gratanter) *à genitrice post tantorum interualla annorum suscepti sumus.* Quibus ex verbis intelligitur, Ionam Segusionensem patriâ fuisse, cùm ibi & mater & frater eius habitarent. Segusio autem vel Segusium, *opidum* à Plinio & Ammiano; *vrbs* à Gregorio aliisque; à quibusdam & *ciuitas* dicitur, abéstque à Monasterio Bobio millia passuum CXL. aut potiùs CLX. Positum est hoc opidum ad Alpium radices, & Galliæ finis ac initium Italiæ habetur. Certè ab eo loco incipit Italia, cui & ab omnibus attribuitur.

Voce Dei quod promissum, non esse negatum
Credimus & scimus, ni quos sua crimina pellunt.]

Quod Sacramentum Corporis sui à Christo Discipulis suis Ecclesiæque promissum & datum, nec nisi his qui propter peccata grauissima essent à communione remoti, negatum esse credimus & certò scimus.

V

In Cælis primas debent conscendere sedes.] Presbyteri, & præsertim Episcopi eniti dum viuunt & dare operam debent, vt mortui *primas in Cælo sedes* consequi mereantur: quas certum est non dignitati deberi sed meritis.

Hos decet euigilare; cibis & parcere multis:
Pro populi semperque suis orare ruinis.] Presbyteros & Episcopos decet, plebis sibi commissæ curam gerere, & suorum quemque velut Pastores gregum inuigilare custodiæ; paucis cibis esse contentos; & pro populi delictis ac suis semper Deum orare ac deprecari. *Castos & sobrios* eos esse oportere, suprà dixit Adalbero. Sic Ammianus Marcellinus in libro XXVII. scribit, *Antistites prouinciales tenuitate edendi potandique parcissimè, vilitate etiam indumentorum commendari.* Idem & Gregorius Nazianzenus Episcopus in Carminibus paginâ XI. tradit.

Pauca super Clericis dixi, sed plura reliqui.] Pauca de Clericis dixi, sed plura omisi quæ dicere potuissem. Adalbero hunc versum mutauit, eique alterum emendatiorem substituit, qui talis est,

Pauca super Clero dixi, super Ordine pauca.
Æquales igitur sunt omnes condicione:
Vna domus Domini lege si clauditur vna.] Prior versus refertur ad id quod suprà scriptum est ab Adalberone de ministris Ecclesiæ vel Clericis.

Format eos omnes æquali condicione.

Posterioris in versus locum hunc suffecit Adalbero,

Vna domus Domini sic lege reuoluitur vnâ.
Lex humana duas indicit condiciones.

Nobilis, & seruus simili non lege tenentur.] Adalbero omnes homines, saltem apud Francos in duos ordines ait esse diuisos : alterum genus esse *Nobilium*; alterum *seruorum*. Vbi *Nobilium* nomine Honoratos, milites, & quosque etiam ingenuos de patrimonij sui reditu viuentes designat; *seruorum* autem appellatione ceteros omnes, nimirum mercatores, artifices, agricolas, & alios quæstu se sustentantes, quos Latini plebem vocant, famulos demum atque mancipia. *Nobiles* Adalbero, etiam *ingenuos* appellat hoc versu.

Nam valet ingenuus sine seruis viuere nullus.

Seruos verò nuncupat idem & *vulgus*.

Defendunt vulgi maiores atque minores.

Sic Gregorius in libri x. c. IV. Legatos Childeberti R. F. *bene ingenuos generatione*, & in capite XXIX. Aredij parentes *valdè ingenuos* pro nobilibus vocat.

Nam primi duo sunt : alter regit ; imperat alter.] Ex genere Nobilium sunt, & inter eos eminent ac principatum tenent duo, Rex & Imperator : quorum consiliis & dispositionibus Resp. stat & nititur. Ex his fiunt & Comites, & Marchiones, & Duces.

Sunt alij, quales constringit nulla potestas:
Crimina si fugiunt, quæ Regum sceptra coërcent.

Hi bellatores; tutores Ecclesiarum. &c.] Describuntur his quinque versibus *Nobiles* vel *Ingenui*, qui militant, & *sese* ac vnà *Ecclesias* & Clerum, atque *maiores & minores vulgi* seu plebis (quos suprà *seruos* dixit Adalbero) armis ab iniuria defendunt.

Altera seruorum diuisio condicionum.

Hoc genus afflictum, nil possidet absque labore.] Nunc loquitur Adalbero de *seruis*, hoc est non de famulis modò atque de mancipiis domesticis, sed etiam de his qui mercaturâ, aut artificio quolibet, aut operâ se suâ quæstúque sustentant. Hoc hominum genus admodùm est laboriosum ac velut in vsum & ministerium ceterorum natum & factum. Vnde Adalbero negat eis quidquam esse nisi labore quæsitum: & infrà ait, enarrari omnino non posse

Seruorum studium, cursus, tantósque labores.

Idem *laborantium* eos appellatione designat hoc versu,

Nunc orant alij; pugnant; aliique laborant.

Addit Adalbero, à *seruis* Nobiles vel ingenuos *vestiri*; à *seruis* vel ipsos *dominos pasci:* cunctos opes per eos quærere: *sine eis viuere*, aut ad vitam necessaria habere *neminem posse:* Regem demum ipsummet & Episcopos ac

Optimates quotiescumque seruorum operâ egent, eis quodammodo videri seruire.

Seruorum lacrimæ, gemitûs non terminus vllus.] Singularis numerus pro plurali. Id est, lacrimarum gemituúmque seruorum nullus est finis aut terminus.

Triplex ergo Dei domus est, quæ creditur vna.
Nunc orant alij; pugnant; aliique laborant.
Quæ tria sunt simul, & scissuram non patiuntur.]

Domus Dei quæ vna creditur, & quæ *vna* ab Adalberone supradicta est, siue Ecclesia tripertita est, ac in tria hominum genera diuisa. *Alij* enim ex Christianis *orant*; *alij pugnant*; *laborant alij*. *Orant* Clerici; *pugnant* milites; *laborant* reliqui, nimirum plebs seu *vulgus*; Hic *status triplex* est, quem suprà Adalbero dixit hoc versu,

Res Fidei simplex, status est sed in ordine triplex.

Hic *triplex status*, vel triplex ordo & professio hominum, infrà *connexio triplex*, ac nihilominùs *simplex* nuncupatur ab Adalberone.

Est igitur simplex talis connexio triplex.

Propterea quòd hi tres ordines, siue hæc tria hominum genera, vnius corporis videlicet Ecclesiæ Catholicæ membra sunt atque artus alteri alterorum indigentes, cohærentes alteri alteris, nec diuisionis aut dissidii capaces atque patientes.

Iam caput ecce tuum candens imitatur olorem.

Hæc natura senectutis dixisse probatur.] Dixerat Adalbero *iam leges tabescere & pacem defluere; mutari hominum mores, mutari & ordinem.* Itaque Rotbertus Francorum Rex Episcopum qui de condicione temporum suorum questus erat, ita irridet, vt delirare eum dicat, & vitio senectutis talia effutiuisse. *Caput* Adalberonis omni ex parte canum, (quod *canens* potiùs quàm *candens* vocari oportuit) *imitari olorem*, vel cycni simile esse ait Rex: sicuti hodieque qui toto capite & barbâ canuit, senem *instar cycni canum* esse vulgò dicimus. *Il est blanc comme vn cygne*. Posteriorem versum mutauit Adalbero ad eum modum sed minùs feliciter,

Talia te natura senis dixisse probatur.

Credere non sanum talis natura coëgit.] Hoc est, senectus quæ naturâ delira est, credere me cogit, te non sanæ esse mentis. Superscriptum erat in codice

Te quoque non sanum talis natura coëgit.

vt sit sensus. *Natura* senectutis *coëgit te* esse *non sanum*, coëgit te insanire, & has mihi nugas loqui.

Altera me stimulat: senio non deficit illa.] *Alia* me *natura* quæ *senectute non deficit*, stimulauit & compulit ad ea tibi dicenda: nimirum anima rationis compos & æterna, in quam senectus non cadit. Sic Adalbero loquitur Regi, vt delirare se neget.

R. *Quot homini dantur natura? Dic. P. Puto, bina.*]
Scilicet animus vel anima, & corpus.

Ex his quæ loquitur, cuius sint verba repone.] Harum duarum hominis naturarum vtra loquatur, vtrius verba sint, vtri vox & sermo conueniat, interroganti mihi responde.

Grammaticus simplex, nedum Dialecticus illex.
Valdè recordaris studiorum pauca priorum.]
Tu Adalbero qui Grammaticus tantùm es, nec Dialecticæ leges nosti, ex his quæ olim in scholis didicisti valdè pauca recordaris. Posterior versus ab Adalberone emendatus est ita,

Nunc scio quòd recolas studiorum pauca priorum.

Grammaticus simplex, *vn simple Grammairien*, hodieque vulgò dicitur solius Grammaticæ peritus, nihil præter Grammaticam sciens. *Illex Dialecticus* heic, idem quod exlex, *ἄνομος*, qui leges regulasve Dialecticæ non nouit.

Qui paruum meminit, non obliuiscitur omnis.] Verba sunt Adalberonis, asserentis se non omnium studiorum suorum oblitum esse, qui teste ipsomet Rege aliqua adhuc etiamsi paucula meminisset. *Parui* tum dicebantur, qui olim *pauci*. Hinc in Præfatione legis Salicæ Gens Francorum *parua numero* fuisse dicitur; nec aliter à Virgilio appellantur *exigui numero*, qui numero pauci erant. Exiguum enim & paruum eiusdem esse significationis nemo

nescit. Ita & Græci recentiores μικέσις pro ὀλίγοις dixere. Pirrus quippe qui nostris Antiochiam tradidit, cùm paucos se Francos ad rem exsequendam habere quereretur, dixit: Μικέσις Φράγκεις ἔχομεν. Apud Gregorium in libri VIII. cap. XXX. *Satius est enim vt parui contumaces pereant, quàm ira Dei super omnem regionem dependeat innoxiam.* Et in l. IV. c. XXX. *Magni ibi tunc viri ex Aruernis non solùm torrentis impetu rapti, sed etiam gladiorum ictibus sunt prostrati.* Sic in veteribus codicibus scriptum reperi, *Parui contumaces; Magni viri ex Aruernis*: id est *pauci contumaces; multi viri*: quemadmodum in edita Gregorij historia legitur. Iulianus Toletanorum Archiepiscopus Argabadum Narbonensis Ecclesiæ Antistitem inducit, Vvambæ Regi Gothorum ita loquentem. *Paruissimi quidem euasimus gladium: sed pro paruis veniam deprecamur.*

Eius qui stimulat, senio nescis reminisci.] *Senio nescis* Episcope *reminisci eius qui te stimulat*: seu præ senectute verba mea quibus tamquam bos stimulo punctus es, reminisci non potes: cùm te *non sanum*, te *simplicem Grammaticum ac Dialecticum illegem* vocauerim, & de *prioribus studiis paucissima recordari* dixerim.

Spiritus heic resonat: Non me dementia torquet.] In corpore isto meo est & mecum habitat anima rationis compos, cuius beneficio & ope-

râ tibi Rex loquor : anima inquam, quæ vel ipso nomine naturam suam indicat atque testatur. Anima enim spiritum ventúmque significat. Neque verò senectus delirum me aut parum sanæ mentis *dementemve* reddidit, vti suprà dixisti.

Si natura senum cogit, non culpor acutè.] Si quemadmodum dixisti Rex, ea est natura senectutis extremæ, vt insanire aut saltem delirare nos cogat : malè & sine caussa obiicis mihi vitium, quod sit non personæ, sed ætatis; & quod senex ego tametsi valdè velim & cupiam vitare non possim.

Naturæ finem non ponunt arte periti.

Artificem quidam dicunt ignem sapientes.] Naturam quidam *artis periti* vel *sapientes*, hoc est Philosophi vel Sophi definiunt *ignem artificem*; alij *Dei voluntatem*. Quæ sequuntur diuisiones Philosophicæ de naturis, quæ item de argumentatione omni aut necessaria aut probabili, & quæ de vero aliisque, operâ nostrâ & expositione non indigent.

Territa, naturam vitans effatur asella.] Asina Angeli gladium strictum intentantis conspectu territa, inaudito prodigio Balaam domino locuta est.

Fabula non similat verum, nec dicitur esse.] Fabula veri non est similis nec verum vocatur aut habetur. Sic apud Ardonem in Vita Benedicti Anianæ Abbatis. *Sæpe similare equus*

equum solet. Apud Paulum: *equæ quas similatis.* Ex similare fecimus, *sembler* & *ressembler.*

Nænia nulla meum nec fabula mulcet amorem.]

Nænias siue ineptias, *& fabulas* odi.

Iure salutifero sapientes & moderati
Præmia vel pœnas quærant: ratione potentes
Accipiant, æqui vel quid patiantur iniqui.]

Mutauit duos priores versus ex parte aliqua Adalbero eum in modum,

Legibus edocti, sapientes & moderati
Præmia vel pœnas quærant: ratione fideli, &c.

Et mala defendant: veniunt extrinsecus illa.]

& mala prohibeant ac vetent: sic suprà.

Quod scio, defendunt: quod nescio, cedunt.

Mutauit & hunc versum Adalbero eo modo,

Quæ mala dissoluant, quæ sunt extrinsecus acta.

Oratoris inest tibi, Rex, concessa facultas.
Nunc demonstras; tum deliberat ordo Potentum,
Discutiens affirmatè cum relligiosis
Iudiciis, à quo possint res infitiari.]

Tria caussarum genera designat Adalbero, *demonstratiuum,* quo laus & vituperatio continetur; *deliberatiuum*, & *iudiciale:* atque Rotbertum Francorum Regem qui artem oratoriam norit, in Conuentibus Gentis demonstrare, quæ probet & facienda iudicet: tum de his Proceres deliberare. *Ordo Potentum,*

ſunt Epiſcopi, Abbates, & Principes Optimateſve ſæculares, nimirum Duces, Marchiones, Comites. Poſt vltimum verſum tres verſus eraſi in codice deſiderantur.

Antea res quales nobis, tranſlatio, finis,
Et coniecturæ quò diſcernantur oportet.] *Antea oportet, vt diſcernantur à nobis rerum qualitas, tranſlatio, finis, & coniecturæ.*

Quatuor has non inuenies, quas hicce requiris.] Qualitatem, tranſlationem, finem, & coniecturas.

Rite pedes poſui: ſurgit, dum figitur alter.] Surgit alter pedum, dum alter figitur.

Pandere non moriens nos hæc natura coëgit.] Non hæc nos capularis ſenectus, naturâ delira exponere coëgit. Hic verſus Adalberonis reſpondet huic Regis de Adalberone verſui,

Hæc natura ſenectutis dixiſſe probatur.

Dignè triſtaris, qui Rex ſeruire iuberis.] Hic Adalberonis verſus refertur ad ſuperiorem alterum eiuſdem

Rex & Pontifices ſeruis ſeruire videntur.

Regnum Francorum Reges ſub tempore patrum
Subiugat, & ſemper ſublimi pollet honore.

Chlodoueus Rex Francorum Regnum Alamannorum in parte Germaniæ, Regnúmque Veſigothorum in Aquitania euertit ac ſuæ ditioni ſubiecit: eius filij præ ceteris Regna Burgundionum & Toringorum interfectis Regibus occupârunt. Carolus Magnus Regnum

Langobardorum in Italia capto Desiderio Rege obtinuit, & Regnum Hunnorum Auarum in Pannonia; Saxones Gentem Germaniæ validissimam & maximam, Baioarios rebelles, & Sclauinorum seu Venedorum nationes aliquot subegit.

Regum sceptra patrum nullius sceptra coërcent.] Reges Francorum nulli vmquam sceptro, nulli alteri Regi aut Imperatori subiecti sunt: quod verum, & memoriâ dignissimum est, & obseruandum. Eam in rem notanda sunt apud Frodoardum in L. IV. c. V. Fulconis Remensis Archiepiscopi ad Arnulfum Regem Transrhenanum verba, quæ talia sunt. *De eo quoque quòd sine ipsius Arnulfi consilio præsumserint hoc agere;* (Carolum Regem facere) *morem Francorum Gentis asserit secutos se fuisse: quorum mos semper fuerit, vt Rege decedente, alium de Regis stirpe vel successione, sine respectu vel interrogatione cuiusquam maioris aut potentioris Regis eligerent.*

Quique regit, gaudens virtutibus imperat æquè.] Et qui Regnum illud Francorum regit, multis magnisque virtutibus præditus est, ac bene iusteque imperat. Hæc de Rotberto ipso Rege Franc. ab Adalberone dicuntur.

Nouimus Imperium iam Regibus esse fugatum.] Scimus Imperatores à Regibus Francorum in fugam coniectos & finibus suis expulsos esse. Nimirum anno DCCCCLXXVIII. Lotharius Fran-

eorum Rex Mettis receptis, cum magno exercitu deimprouiso superueniens, Imperatorem Ottonem iuniorem ex Palatio Aquisgrani vnà cum coniuge profugere coëgit: quem eodem anno cum LX. millibus militum Franciam ingressum, & Remorum, Laudunensium ac Suessionum agris vastatis Luteciæ suburbanum incendere ausum, Rex Hugone Comite Parisiorum & Heinrico Duce Burgundionum maximisque copiis fretus fugere compulit, nec vsque ad Axonam modò Suessionicum, vbi plurimi vi fluminis oppressi perierunt, sed etiam vsque ad Mosam finésque Regni Francici triduo & trinoctio Imperatorem est insecutus: vt Hermannus, Sigebertus, Guillelmus Nangiacensis, ceterique Chronographi tradunt. Sed & anno MVI. Rotbertus ipse F. Rex Richardo II. Nortmannorum Duce comitatus Heinricum Imper. ab obsidione Valentianarum excussit: quod castrum in confinio Francorum & Lothariensium situm, Balduinus Flandrensium Comes inuaserat.

Gratia nunc Summo, per quem regnare perópto.
Non meritis concedo meis, &c.]
Gratias ago Deo, qui me Regem fecit, per quem viuo, per quem regno. Neque enim meritis meis (quæ aut nulla sunt aut exigua) tantum tribuo, vt Regnum eis debere me putem. Hæc verba sunt piissimi Regis ac demississimè

de se sentientis Rotberti, qui ab Helgaldo propterea *Rex humilis*, interdum & *humillimus* appellatur. Vnde Adalberonem de forma & virtute sua plura dicere prohibet suprà.

De forma satis est & de virtute locutum.

Quod loquendi genus Gallo-Francis nostris hodieque in vsu est. *C'est assez parlé de cela.* Item ait

Scire meum nihil est, semper sed numinis almi.
Vt nobis liceat leges seruare paternas.]

Flexis genibus supplex Deum semper oro, *leges* vt *patrias seruare* possim, & ab omnibus meæ ditioni subditis seruandas curem, nec ab eis vmquam recedam, recedique patiar: inquit Rex. Apud Gregorium l. IX. c. XXX. *Chariberto Regi populus Turonicus sacramentum dedit: similiter & ille cum iuramento promisit, vt leges consuetudinésque nouas populo non infligeret, neque vllam nouam ordinationem quæ pertineret ad spolium.* Et Leodegarius Augustodunensis Episcopus *Childericum* Monarcham Francorum *arguit,* quòd *leges & consuetudines patrias quas conseruari præceperat, tam subitò immutâsset.* Karolus quoque Caluus anno DCCCLXIX. Mettis coronandus in Ecclesia S. Stephani cunctis Lotharienſibus qui aderant denuntiauit, *Se vnicuique* suorum fidelium *in suo ordine, secundùm sibi competentes leges tam Ecclesiasticas quàm mundanas, legem & iustitiam con-*

seruaturum. Ludouici eius filij anno DCCCLXXVII. in Palatio Compendio coronandi, promissio ad Episcopos petentes talis est. *Promitto & perdono vobis, quia vnicuique de vobis & Ecclesiis vobis commissis Canonicum priuilegium & debitam legem atque iustitiam conseruabo, & defensionem quantum potuero adiuuante Domino exhibebo.* Eamdem in tribus codicibus veteribus Regum nostrorum responsionem ad Episcopos reperi. Eadem eisdémque verbis concepta est *Philippi* septennis, *mox futuri Regis Francorum* anno MLIX. in maiore Ecclesia Remorum professio: qui & addit, *populo sibi credito se dispensationem legum in suo iure consistentem sua auctoritate concessurum:* hoc est (vt Boso Rex designatus ait) *omnibus legem, iustitiam, & rectum mundeburdium seruaturum & impensurum.*

Lex diuina vetat, quæ corrigit inter vtrasque.] Aliàs legitur superscriptum

Lex est vna vetans.

minùs bene

Vtile quaque necessarium conferre videtur.] *Quæ vtile atque necessarium videtur conferre.*

Ad res pertineat plures quæ semper honestè,
Fortior & quæcumque grauissima sit, teneamus.] Eam legem, quæ ad plura honestè pertineat, & fortior ac grauior sit, semper teneamus.

Vndique pax bona post certamina póstque labores:
Et status Ecclesiæ per se sua iura tenebit.]

Optat Adalbero pacem Regno Francorum poſt bella ciuilia & prœlia: vt Eccleſia ibi floreat, & ſua ſibi iura ſeruare poſſit.

Deſcriptas, & non alias Reſpublica leges Poſſideat.]

Habeant ſuas ſibi leges deſcriptas Franci, eáſque, & nullas alias ſeruent. *Deſcriptæ* vel ſcriptæ *leges* ſunt Lex Romana, (ita Codex Theodoſianus vocabatur) Lex Salica, cum Capitulis Caroli Magni eiúſque filij & nepotis Caroli, ac Lex Burgundionum. In Regno Occidentalium Francorum, quod tum Aquitaniam & ex parte Burgundiam continebat, Eccleſia præ ceteris Lege Romana ſeu Codice Theodoſiano regebatur; Galli quoque: Franci laici lege Salica & Capitulis ei additis ab Imperatoribus noſtris vtebantur; Burgundiones ſuis ſeu Gundobadis legibus. *Leges* autem *aliæ*, ſeu non ſcriptæ vocantur ab Adalberone Conſuetudines, quas tum variis in Franciæ partibus variis ſub Comitibus & Ducibus diuerſas inualuiſſe, & poſtea conſcriptas litteris, ac pro legibus habitas eſſe conſtat. Hoc Ius Conſuetudinarium nunc appellatur, & Iuri ſcripto hodieque opponitur, id eſt Iuri Romano: non quòd ſcriptum non ſit, ſed quòd recentiſſimè & multis ſæculis poſt leges Romanas & poſt Francicas etiam Burgundicáſque deſcriptum fuerit.

Sua Regna Baſilius & Benedictus

Obſer-

Obseruent: teneant, quidquid sua Regna iubebunt.]

Suas Regulas seruent Basilij & Benedicti Monachi; suas etiam possessiones: teneant & obtineant quidquid ipsorum Regulæ iubent, quidquid permittunt. Regulas Monachorum Basilianorum & Benedictinorum, *εἰρωνικῶς regna* vocat Adalbero, vt suprà Dominum Odilonem Cluniacensem Abbatem Monachus quidam *Regem suum* appellat, *suum esse Regem* profitetur.

NamDominus meus est Rex Oydelo Cluniacensis. Iamdudum autem Basilij Cæsareæ Cappadociæ Episcopi Regula inducta in Gallias, à nonnullis Monachis obseruabatur. Aredius Abbas Atanensis in Lemouicibus qui anno DXCI. extremum spiritum fudit, *Cœnobium fundauit, in quo non modò Cassiani, verumetiam Basilij & reliquorum Abbatum qui Monasterialem vitam instituerunt, celebrantur Regulæ:* vt Gregorius Turonicus Episcopus in libri Historiæ x. capite XXIX. tradit. In Vitis SS. Eugendi Iurensis & Filiberti Gemeticensis Abbatum fit S. Basilij Regulæ mentio: è quibus Filibertus *Basilij S. Charismata, Macarij Regulam, Benedicti decreta, Columbani instituta sanctissima lectione frequentabat assidua*, Benedictum Abbatem Anianæ qui Carolo & Ludouico Imperatoribus floruit, *ad B. Basilij dicta, necnon ad S. Pachomij Regulam scandere nisum esse* Ardo Anianensis Monachus,

ipsius discipulus scripsit Regulam Basilij, esse statuta eius, quæ Rufinus transtulit, & quæ in vetustissimo codice Parisiaci Monasterij S. Germani reperiuntur, *in ducentas tres interrogationes* & responsiones *diuisa*, affirmat Hugo Menardus. Ceterùm hæc dicit Adalbero, vt doceat quod iam suprà satis ostendit, Basilij & Benedicti præsertim Monachos tum in Gallia à suis legibus sæpe recessisse.

Pontifices vmquam celebrent non rura deinceps.
Sic sua iura tenent, si non ruralia curent.]
Episcopi numquam deinceps ruri plerumque habitent, neu sæpe rure desideant, vel in agro & amœnis villis crebrò otientur tempúsque terant, quod in suæ quisque ciuitatis seu in populi sibi commissi curam debent impendere. In sua quisque sede Antistites sedeant, sua demum iura inuiolata conseruaturi, & venerationi omnibus futuri, si rus negligant, nec voluptatibus suis vacent aut pro vrbibus secessus celebrent, seu prædiorum suorum & suburbanorum redituum ipsi per se curam agant.

Iustitia regimen noster non audeat ordo
Linquere, sed totis semper se nisibus aptet.]
Episcopalis ordo, seu Episcopus quisque æqui bonique seruantissimus sit, nec à iure vmquam recedere audeat: sed semper totis viribus iustitiæ sese accommodet. *Iustitia regimen* dicitur Adalberoni iustitiæ vel iuris regula. Tum autem Episcopi forum suum habebant, vt & olim ha-

buerant: quod infrà apertiùs docetur.

Constituat iustos, & non pro lege capaces
Rectores inopum, miserùm nec non viduarum.]
Noster ordo seu Episcopalis ordo *rectores inopum & viduarum* ac pupillorum *iustos constituat & capaces*, quales minimè fieri consueuere. *Non pro lege*, id est non pro more. Forsitan tamen legendum est

& non pro lege rapaces

vt sit sensus: *Constituat iustos rectores viduarum & non rapaces pro lege*, hoc est, non auaros ex more. *Rectores* autem illi *inopum & miserarum viduarum* ac pupillorum; sunt haud dubiè Diaconi, pecuniæ sacræ egentibus dispertiendæ custodes ac dispensatores.

Nullus ad Ecclesiam noctis nisi tempore pergat
Ire semel: liceat cunctis orare diebus.]
Nullus tempore noctis nisi semel ad Ecclesiam ire pergat. Hæc de Clericis accipienda sunt, quos singulis noctibus non plus semel Ecclesiam adire, seu Matutinis Laudes continuo nec interrupto cantu coniungere vult Adalbero: quibus Matutinis Laicos semel quaque hebdomade nimirum nocte Dominicâ interesse consueuisse, docet nos præ ceteris in Vita B. Leodegarij Ebroini M. D. R. cædes. Vel certè vult aut cupit Adalbero, Vigilias Missásque nocturnas, quæ non solùm Natali Domini, in Pascha & in Pentecoste, sed etiam in nonnullorum Martyrum & Confessorum quo-

que honorem variæ à variis obseruabantur celebrabanturve, omnes præter vnam aboleri: quòd in Ecclesiis multa tum à laicis obscena fauentibus tenebris fierent: qua de re etiam veteres questi sunt Patres. Hinc natum prouerbium illud, vt dicantur vulgò iuuenes qui peruigiliis & nocturnis Missis intersunt, *Deum quærere palpando & contrectando*. Noctem autem Natalis Dominici potiusquàm noctem Paschæ aut Pentecostes ab Adalberone excipi puto: quòd ea hodieque in toto orbe Christiano, ceteris ferè omnibus Vigiliis abolitis, peruigilio Missaque celebratur.

Liceat cunctis orare diebus.]
Totis diebus laicis pateant Ecclesiæ: totos dies Deum eis ibi orare liceat palàm sine vlla suspicione dedecoris.

Iudicet, & spectet præsentes atque futuros.]
Noster ordo, seu Episcopi ita iudicent, vt in iudiciis suis non præsentium modò sed etiam posterorum & suæ quisque famæ ac Dominicorum mandatorum habeant rationem. Nimirum Episcopi præsertim postquam Constantinus Maximus factus est Christianus, suum sibi & peculiare forum habuere, & de omnibus Clericis & Monachis Ecclesiæ suæ subiectis ac de Ecclesiasticis rebus quisque semper iudicauere. Apud Gregorium in libri Historiæ Francicæ v. capite v. Petrus Diaconus, ipsius frater, *Facto placito in præsentia S. Nicetij Episcopi*

auunculi matris suæ, Lugdunum dirigit, & ibi Syagrio Episcopo coram adstante & aliis Sacerdotibus multis cum Sæcularium Principibus, se sacramento exuit, numquam se in mortem Siluestri mistum fuisse. Et in capite xxxix. libri viii. Baudegisilus Cenomanorum Episcopus *cotidie cum Iudicibus caussas discussisse* dicitur. In capite vi. libri ix. de Ragnemodo Pontifice Parisiaco, impostorem quemdam puniente hæc refert. *Ablatâ ei cruce, iussit eum à termino Parisiacæ vrbis excludi. Sed hic iterum factâ alterâ cruce, cœpit quæ gesserat exercere: captúsque ab Archidiacono, & catenis vinctus, iussus est custodiri.* In libri v. capite xlviii. inuenio, Leudastem Turonicum Comitem (quod & ceteros Comites fecisse dubium non est) *in iudicio cum Senioribus vel Laicis vel Clericis resedisse*, id est, & Clericis & Laicis. Gregorij de Nicetio Lugdunensi Episcopo, maiore auunculo suo, in libro de vita eius verba sunt hæc. *Quodam tempore misit Basilium Presbyterum ad Armentarium Comitem qui Lugdunensem vrbem his diebus potestate Iudiciaria gubernabat, dixitque ad eum. Pontifex noster caussæ huic quæ denuo impetitur, dato iudicio terminum fecit: ideóque commonet ne eam iterare præsumas. Qui furens respondit Presbytero: Vade, & dic ei quia multæ sunt caussæ in conspectu meo positæ, quæ alterius iudicio finiendæ erunt.* Vbi vides, inter Episcopum &

Comitem Lugdunensem de iurisdictione contentionem fuisse.

Pro meritis omnes assumant emolumentum
(Excipiar solus vestra cum pace) fideles.]
Omnes qui tibi fideles sunt, pro suis quisque meritis à te Rex beneficia accipiant, me vno cum tua pace excepto. Iocatur Adalbero, & Rotbertum arguit his verbis, velut in omnes præterquàm in se beneficum, in se inquam, cui tot & tanta deberet. Nam Adalbero Laudunum Carolúmque Hugoni Rotbertóque tradendo, Regnum vnà ambobus contulisse videbatur. Quod Rotbertus agnoscens, mox gratiâ eum suâ gaudere iubet, ac Regiis muneribus ait esse dignissimum.

Gratia confirmet te Præsul Adalbero Christi;
Nostra simul: meritò Regali munere dignus.
Septenas liceat Laudes proferre per horas.]
Septenæ Laudes per horas statas *proferendæ* Deóque referendæ à Clericis in Ecclesia, sunt Matutina vel Matutinæ, Prima aut Diluculum, Tertia, Sexta, Nona, Vespera seu Lucernarium, initium noctis vel Completorium.

Hostia cum votis]
Cum precibus cor immoletur Deo & velut victima offeratur. *Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus & cor contritum.* Vel certè vult Adalbero Laicos munera sua ad altare pro victimis offerenda & eleemosynas precibus

ſuis adiungere : propterea quòd *bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna.*

Hæc ſit permiſsio Patris,
Cùm Ligeris Calabros tentabit lingere campos, &c.]

Fient hæc quæ fieri cupit iubetvè *Pater* ſeu Epiſcopus Adalbero, (inquit Rex) quum Liger (Ligeris Adalberoni mendosè dictus) relictâ Aquitaniâ per Calabriam fluere conabitur, & Tigris torrens atque à celeritate ſagittæ nomen habens, pro Meſopotamia perfundet Hiſpaniam: quum Ætna mons mirus incendiis roſas, & lilia ſtagnum feret. Id eſt, hæc non magis, non citiùs & faciliùs quàm illa ab Adalberone optata contingent aut fient. Quare Rex ſubiicit

Talia ſi veniunt: tunc hæc ventura timeto.

Ex his intelligitur, tum in Regno Francorum nec Eccleſiæ ſua iura ex toto ſeruata, nec Monachos legum Benedicti vſquequaque ſeruantes fuiſſe: & conſuetudines malas ac ſcriptis legibus contrarias innaluiſſe in Francia, quas aboleri oporteret: Epiſcopos quoque Francorum crebriùs & diutiùs rure quàm in ſua quemque ciuitate habitauiſſe, vel otiantes molliter, vel more villicorum ſordidè ruſticantes, & agrorum ſuorum magis quàm populi ſibi commiſſi curam gerentes: eoſdem ſæpe in iudiciis à iure æquoque receſſiſſe, & iniquis ac rapacibus Diaconis curam inopum vi-

duarúmque delegauiſſe : ac demum ſeptem Horas Canonicas tum vbique & ab omnibus Clericis in Occidentali Francia exactè non eſſe ſeruatas ad laudandum Deum & ad pſalmos hymnóſque concinendos. Ceterùm *permiſsionem Patris* vocat Rotbertus Adalberonis vota : quia bis Adalbero hæc permitti cunctis, hæc *licere* cupiuerat.

Liceat cunctis orare diebus.

Item, *Septenas liceat Laudes proferre per horas.*

Non quia deliras, ſed nobis allegorizas.]

Senſus eſt verborum. *Præſul Adalbero, gratia Chriſti & ſimul noſtra te confirmet. Regali munere dignus* es, *quia non deliras, ſed allegorizas nobis*, ſeu per allegorias facienda nos doces; fugienda nos mones. Ita ſe Rex excuſat, qui Adalberonem antea *non ſanum* vocauerat.





HADRIANVS VALESIVS STVDIOSO LECTORI S.



SIGIBERTVS Dagoberti maioris filius, Austrasiorum Rex qui ineunte XXI. ætatis anno decessit, Dagobertum filium trimulum aut quadrimum moriens Grimoaldi Præfecti Palatij fidei commendauerat, vt ipsius potissimùm operâ & auctoritate in paternum Regnum eueheretur. At ille puerum vel potiùs infantem iniuriæ obnoxium, tonso capite Clericum fecit, & per Didonem Pictauorum Episcopum nefandi consilij auctorem, in Scotiam maiorem Hiberniamve Scottorum insulam peregrinaturum aut veriùs perpetuò exsulaturum misit: ac in locum insontis paruuli Childebertum filium

ſuum ſubſtituit. Hoc tantùm de Dagoberto iſto nec quidquam ampliùs refert auctor Geſtorum Francorum: quem ceteri noſtri Chronographi & Biographi ſunt ſecuti, in primis Notegarius Leodicenſis Epiſcopus in Vita Remacli, Ademarus Cabannenſis, Hariulfus Monachus Centulenſis, Sigebertus Gemelacenſis. Nec cùm è veteribus tum è recentioribus noſtris Hiſtoricis hactenus repertus eſt quiſquam, qui Dagoberti poſt deportationem eius in Scotiam mentionem vllam faceret. Omnes Regium infantem deſertum à ſuis, ignotum, egentem, extorrem Regno patrio, apud exteros periiſſe Monachum exiſtimabant. Vnus ſolummodò ſcriptor Vitæ B. Audoëni, non magni faciendus, Dagobertum Regis Sigeberti filium qui ab Grimoaldo tonſus ac in exſilium miſſus fuerat, Rotomagi in ſuburbana Baſilica S. Petri Apoſtoli ſepultum eſſe affirmabat. Primus ego anno MDCXLVII. ex Vvillelmo Malmeſburienſi Monacho ſeu potiùs ex Stephano Preſbytero, & ex Vita S. Salabergæ ab auctore graui veterique compoſitâ didici obſeruauique, Dagobertum Regno ac domo expulſum factione Procerum, ex Hibernia in inſulam Britanniam tranſiſſe, & à Vvilfrido Eboracenſium Epiſcopo opulentiſſimo hoſpitaliter exceptum, ac viris equiſque inſtructum in patriam reuertiſſe: cuius beneficij memor, Vvilfrido poſtea Romam pe-

tenti pro Eboracensi Diœcesi ipsi erepta Argentoratensis Ecclesiæ Episcopatum detulerit: atque eumdem cum Theodorico fratre patrueli in Neustria ac Burgundia regnante bellum de finibus gessisse, prœliúmque circa vrbem Lingonas commisisse. Quare in Præfatione Tomo II. Rerum Francicarum præfixa, & in libro XXII. dixi, à Vulfoaldo Maiore domus Regiæ post Childerici cædem domum reuerso, & à ceteris Austrasiorum Optimatibus Dagobertum ex Hibernia Scotorum insula reuocatum, & in Regnum patrium restitutum mihi videri. Stephano Presbytero apud Vvillelmum, & scriptori Vitæ S. Salabergæ de restitutione Dagoberti referentibus, quem tertium adiungerem, auctorem nuper inueni. Nam cùm scriptum codicem quemdam Monasterij Regalis montis nuper euoluerem, incidi in Vitam B. Memmij Episcopi Catalaunici, Vitâ eius à Francisco Bosqueto editâ emendatiorem, & adiectis etiam miraculis auctiorem: in qua de Memmio Episcopo Catalaunorum, de Donatiano Diacono eius, Domitianóque Subdiacono, & de Monachis in Catalaunica Basilica S. Memmij atque ad sepulcrum B. Antistitis Confessorisque psallentibus hæc reperi. *Postquàm tantis effulsit virtutibus & miraculis Deus per seruos suos* (Memmium, Donatianum ac Domitianum) *claruitque: nouissimo tempore in anno secundo sub imperio Dago-*

berti Regis, (Ipse est, qui post longam pressuram reuersus est ad propria Regna) in mense v. *in* v. *die mensis, secundâ vigiliâ noctis cùm ei Nocturnos Fratres celebrantes adstarent, sic res noua nec antea vmquam visa ad caput S. sepulcri, vt Patrem se Apostolicùmque eo tempore declararet, apparuit: precibus cælum aperiens, quod nec tribus mensibus pluerat super terram. Dum & vehemens fremebat siccitas, ita vt omnes putei in puluerem redacti sint: sic Deus mox terram irrigauit & compluit, & aquam quæ descenderat, ab imo per pedes* XL. *ad sublimia conscendere fecit, & eam vsque ad* IV. *vigiliam desuper fontem manare fecit, vt omnes vigilantes viderent, & tremerent omnes Fratres vno voto concinentes. Consummata est quidem ea nocte Vigilia, & celebrata festiuitas. Verùm ab ipsa die vsque ad diem Octauam nullatenus cantus cessauit psalmorum in vna Fide pulsantium in nomine Iesu Christi Domini nostri.* Tum auctor multa de eo fonte qui manauit ad sepulcrum S. Memmij; & de duobus claudis seu debilibus, & de cæca muliere ad hunc fontem manantem seu ad tumulum S. Memmij curatis paucula cùm dixit, subiicit. *Ex illa die dæmones ibidem declarati, & ibidem effugati, & alia multa similia, & virtutes, quas enarrare visum non est & enumerare, longúmque per ordinem texere. Verùm ea quæ vidimus, hæc scripsimus & narramus.* Quibus ex verbis facilè cognoscitur, scriptorem istarum B.Mem-

mij virtutum Vitæ eius adiectarum, æqualem Dagoberti nostri Austrasiorum Regis, & Catalaunici Monasterij B. Memmij Monachum fuisse: atque anno II. regni Dagoberti quo anno fons iste manare cœpit, eumdem floruisse: & *quinto die mensis* sexti potiùs quàm v. id est Nonis Augusti quo die Natalis S. Memmij celebratur, supradictum miraculum accidisse. Regis autem Dagoberti imperij annum Auctor miraculo præfigit, propterea quòd Catalauni nec non Remi Campaniæ Remensis vrbes iaminde à Theodorico Chlodouei Magni filio Austriæ Regibus parebant: & omnes sciunt Historicos ac Biographos sui quemque Principis regni annos suis in libris adnotare consueuisse. Ceterùm vt Dagobertum nostrum à duobus cognominibus Francorum Regibus, nimirum ab auo suo Dagoberto maiore, & à Theodorici fratris sui patruelis nepote distingueret, his Monachus vtitur verbis. *Ipse est, qui post longam pressuram reuersus est ad propria Regna.* Dagobertus qui medius inter duos eiusdem nominis Reges regnauit in Francia, meliùs à quoquam vlla ratione designari non potuit. Quippe post diuturnam summamque calamitatem & inopiam, post miseram peregrinationem vel potiùs post XXIII. circiter annorum exsilium reuocatus à Proceribus Austrasiis, & in Regnum paternum est restitutus. Regnum Austriæ, *Impe-*

rium Dagoberti Regis & *propria Regna* vocat Monachus Memmianus, quia Austria, sicut quondam Imperia Romanum & Persicum, præter aliquot prouincias & vrbes Galliæ opulentas & claras multa ac ingentia trans Rhenum Regna in Ducatuum formulam ab Chlodouei Maximi filiis redacta continebat: videlicet Alamanniam aut Sueuiam, duos in Ducatus diuisam Alamannorum & Austrasiorum seu Francorum Orientalium; Baioariam, Toringiam, Frisiam, partem Saxoniæ, plurimósque alios Germaniæ pagos atque latissimas regiones. Hunc de Dagoberti in Austriam reditu atque regno vnum & vnicum versum æqualis scriptoris tam eximium, tam illustrem, tam apertum, tibi Lector Historiæ studiose diutiùs ignotum esse nolui, & tametsi huius loci non erat, nec ad Berengarium Aug. aut ad Rotbertum Regem Francorum quidquam pertinebat, Notis meis ex occasione quamprimùm subiiciendum putaui: ne thesaurum dum latet nihil profuturum, tibi viderer abscondidisse: neu illustrem Francorum Regem, tamdiu nostris incognitum, clarissimo & verissimo grauissimi & vetustissimi auctoris testimonio fraudarem: neu demum (vt iam mihi sæpius contigit) à quoquam in huiusce saltem obseruationis editione præuenirer, atque postea ad rem repetendam miserrima necessitate compellerer. Fruere meis lucubrationibus Candide Lector, & Vale.



ERRATA ET ADDENDA.

PAginâ 5. *versu* 13. DCCXXIV. *scribe* DCCCCXXIV.

Pag. 28. *versu* 24. Thetis *scribe* Tethys

Pag. 35. *versu* 5. instantem *scribe* hunc stantem

Pag. 39. *post versum* V. *scribe* Explicit LIBER II. Incipit LIBER III.

Pag. 79. *versu* 15. DCCCLXXVII. *scribe* DCCCLXXVIII.

Pag. 88. *versu* 5. VI. *scribe* VII.

Pag. 125. *versu* 22. DCCCCXCVI. *scribe* DCCCXCVI.

Pag. 180. *versu* 18. *post* volens *adde* : Erunt tamen qui hæc potiùs de Adelberto Tuscorum vel Lucensium Marchione accipienda credent, quòd Apennini incolas, seu *Apenninicolas* ducere dicatur Poëtæ.

Pag. 192. *versu* 18. *post* *ἤγαγε* *adde* : Augustus anno ætatis XXIV. primam barbam posuit, cúmque diem festo conuiuio magnificè celebrauit, ac populo epulum præbuit : sicuti idem in libro XLVIII. tradidit.

Pag. 198. *versu* 29. *post* exponitur *adde*. Dudo in libro III. & nomine præcluis vtitur, quum Richardum iuuenem *præcluis nobilitatis*, hoc est præclaræ vocat.

Pag. 246. *versu* 22. spirat *scribe* sperat.

Pag. 319. *versu* 26. *dele* honestè *&* *versu* 27. *scribe* honestè semper teneamus.

SVMMA PRIVILEGII
Regis Christianissimi.

CAVTVM *est Litteris Regis, ne quis in Regno eius aliisve locis eius ditioni subiectis* Panegyricum de laudibus Berengarij Augusti; & Adalberonis Episcopi Laudunensis ad Rotbertum Regem Francorum Carmen, ab HADRIANO VALESIO Historiographo Regio è veteribus codicibus eruta ac Notis illustrata, *ipsiusmet editoris iniussu typis excudat aut vendat intra* VII. *annos proximos à die publicationis exemplarium. Qui contra Litteras fecerit, multa ei indicta: vt fusius Diploma Regium docet, datum Parisiis* V. *Kalendas Nouembreis anno* MDCLXII. *subscriptum ex mandato Regis* GVALY.

HADRIANVS VALESIVS *ius suum cessit* IOHANNI DV PVIS *Bibliopolæ Parisiensi: quod & in acta Bibliopolarum & Typographorum Paris. relatum est* à IOHANNE DV BRAY *Syndico.*

